




Confessio et expositio simplex orthodoxae fidei : & dogmatu[m] Catholicorum syncerae religionis Christianae

<https://hdl.handle.net/1874/429892>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnde
 - de staartsnede
 - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>


Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

VARIA
OPUSCULA LITERARIA.


*

F. qu.
156













Miscellanea Theologica

Quarto n°. 156.









CONFESSIO ET EXPOSITIO

SIMPLEX ORTHODOXAE FIDEI,
& dogmatū Catholicorum sinceræ religionis Christianæ, concorditer ab Ecclesiæ Christi ministris, qui sunt in Helvetia, Tiguri, Bernæ, Scaphusij, Sangallis, Curiæ Rhetorum & apud confederatos, Mylhusij item, & Biennæ, quibus adiunxerunt se & Genevensis Ecclesiæ ministri, edita in hoc, ut uniuersis testentur fidelibus, quod in unitate uerae & antiquæ Christi Ecclesiæ, persistent, neq; ulla noua aut erronea dogmata spargant, atq; ideo etiam nihil consortij cum ullis Sectis aut heresibus habeant: hoc demum uulgata tempore, qui de ea æstimare pijs omnibus liceat.



R O M . X .

CORDE creditur ad iustitiam, ore autem
confessio fit ad salutem.

T I G U R I

Excudebat Christophorus Froeschouerus,
Mense Martio, M. D. LXVI.



X donatione Hub. a Basile.

VNIVERSIS CHRI-
STI FIDELIBVS PER
GERMANIAM ATQVE EXTERAS
etiam Nationes. Ministri subscriptarum Ecclesie-
rum per Heluetiam, Gratiam & pacem à Deo
Patre, per IESVM CHRISTVM
Dominum nostrum
precantur.

ON S C R I P T A E sunt hactenus, quod
ceduntur hoc præcipue tempore in publi-
cum, à Regnis, Nationibus, & Ciuitati-
bus, multæ ac variae Confessiones & ex-
positiones fidei, quibus extremo hoc seculo, in tam in-
felici pernicioſarum prouentu heresum, qua paf-
sim exoriuntur, docent atq; testantur, se in Ecclesijs
suis orthodoxe simpliciterq; sentire, credere atq; doce-
re, de omnibus in uniuersum & singulis Christiana
fidei & religionis nostra dogmatibus, deniq; se & ab
heresum ſectarumque communione eſſe quam alic-
niſſimos. Nos ergo, tametsi antea hoc ipsum feceri-
mus in nostris scriptis in publicum editis, quia ta-
men illa in obliuione forte abierunt, varijsq; in locis,
& prolixius etiam rem exponunt, quam ut omni-
bus inquirere ac perlegere varet, præclaro aliorum
fidelium exemplo excitati, breui hac expositioне co-
namur complecti, & omnibus Christi fidelibus pro-
ponere doctrinam æconomianq; Ecclesiarum no-

P R A E F A T I O.

strarum, quam illæ mox ab initio reformationis, multos iam per annos, multaq; per discrimina rerum ad hunc usq; diem, summo cum consensu, et) docuerunt, et) nunc quoq; custodiunt. Eadem opera attestamur etiam omnibus consensum nostrum unanimem, quem dedit nobis Dominus, ut in nostris Ecclesijs, quibus nos ministrare voluit Dominus, idem loquamur omnes, nec sint inter nos dissidia, sed simus integrum corpus, eadem mente eademq; sententia. Attestamur item nos, minimè talia in Ecclesijs nostris spargere dogmata, qualia aduersarij nonnulli nostri nobis, apud eos maximè, ad quos scripta nostra non perueniunt, et) qui doctrinæ nostræ imperiti sunt, falso et) præter meritum tribuere, obtrudereq; nituntur. Ergo manifestissimè ex his nostris, qui deprehendent lectores, nihil nos quoq; habere communionis cum ullis sectis atq; haresibus, quarum, hoc consilio, in singulis propè capitibus, mentionem facimus, easq; rejcientes perstringimus. Colligent itaq; et) illud, nos à sanctis Christi ecclesijs Germanie, Gallie, Anglia, aliarumq; in orbe Christiano nationum, nephario schismate non sciungere atq; abrumperet: sed cum ipsis omnibus et) singulis, in hac confessa veritate Christiana, probè consentire, ipsasq; charitate sincera complecti.

Tametsi vero in diversis Ecclesijs quadam deprehenditur varietas, in loquutionibus, et) modo expositio-

P R A E F A T I O .

expositionis doctrinae, in ritibus item vel cæremo-
nijs, eaq; recepta pro Ecclesiarum quarumlibet ra-
tione, opportunitate & adificatione, nunquam ta-
men ea, vllis in ecclesia temporibus, materiam dis-
sensionibus & schismatibus, visa est suppeditare.
Semper enim hac in re, Christi ecclesia vsa sunt li-
bertate. Id quod in historia Ecclesiastica videre li-
cet. Abunde pia uetus statu satis erat, mutuus ille in
præcipuis fidei dogmatibus, inque sensu orthodoxo &
charitate fraterna, consensus.

Quocirca speramus Christi ecclesias, ubi uiderint
deprehenderintq; nos in sancti & aterni Dei doctri-
na, in sensu item orthodoxo & charitate fraterna,
cum ipsis, imprimis uero cum veteri Apostolica ecclæ-
sia, per omnia consentire, libenter ipsas quoq; in uni-
tate fidei atq; doctrinæ, sensuq; orthodoxo, & frater-
na charitate consensuras nobiscum. Cum hanc Con-
fessionem in hoc quoq; ediderimus præcipue, ut ecclæ-
siarum pacem concordiamq; cum mutua charitate,
apud Germania exterasq; ecclesias queramus, nobis
conciliemus, cōciliatamq; retineamus. Vbi sane illas
ipsas ecclesias, ea dilectione, sinceritate, integritateq;
prædictas esse, nobis certò persuademus, ut si quid forte
nostrarum rerum hactenus minus recte intellectum
sit, à nonnullis, porro, auditæ hac simplici Confessio-
ne nostra, illæ nos neutiquam numeratur & sint inter
hereticos, neq; Ecclesias nostras, quæ uera Christi

Ecclesiæ sunt, damnatura ut impias.

Ante omnia uero protestamur nos semper esse paratissimos, omnia & singula hic à nobis proposita, si quis requirat, copiosus explicare, deniq; meliora ex uerbo Dei docentibus, non sine gratiarum actione, & cedere & obsequi in Domino, Cui laus & gloria. Acta i. Martij. Anno 1566.

S V B S C R I P S E R V N T omnes omnium Ecclesiarum Christi in Helvetia ministri, qui sunt Tiguri, Berne, Scaphusij, Sangalli, Curia Rhetorum & apud confederatos, cis & ultra Alpes, Mylhusij, & Bienna, quibus adiunxerunt se & ministri Ecclesiæ, quæ est Geneue.

E D I C T U M I M P E R A T O R I V M D E
eo qui nam habendi sint, vel Catholicæ, vel Heretici; Ex Cod.
Iustiniani Imperat. & Tripart. Hist.

lib. 9. cap. 7.

MP. Gratianus, Valentinianus, & Theodosius, Aug. Populo urbis Constantinopolitanae. Cunctos populos, quos clementia nostræ regit imperium, ita ea volumus religione versari, quam diuinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio usque nunc ab ipso insinuata declarar, quamq; Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum, virum Apostolicæ sanctitatis: hoc est, ut secundum Apostolicam disciplinam Euangelicamq; doctrinam, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, unam deitatem sub pari maiestate, & sub pia trinitate credamus. Hanc legem sequentes, Christianorum Catholicorum nomen iubemus amplecti: reliquos vero dæmentes uæsanosq; iudicantes, hereticis dogmatis infamiam sustinere, diuina primum vindicta, post etiam motu animi nostri, quem ex coelesti arbitrio sumpserimus

mus ultione plectendos. Data 3. Calend. Martias Thessalonice,
Gratiano 5. Valent. & Theod. Aug. Coss.

Cæterum Euangelica & Apostolica historia vnâ cum 2. Pet.
Epistolis docent nos, qualem religionem S. Petrus Apostolus
tradiderit omnibus Ecclesijs per Orientem & Occidentem, nedum
Romanæ. Fides verò & doctrina Damasi Pontificis, qualis fue-
rit, colliquefecit ex ipsius Symbolo.

S Y M B O L U M D A M A S I E X

2. Tomo operum S. Hieron.

R E D I M V S in vnum Deum Patrem omnipo-
tentem, & in vnum Dominum nostrum Iesum Chri-
stum, Dei Filium, & in Spiritum sanctum. Deum non
tres Deos, sed Patrem, Filium, & Spiritum sanctum,
vnum Deum colimus & confitemur: non sic vnum Deum quasi
solitarium, nec eundem qui ipse sibi pater sit, ipse & filius: sed pa-
trem esse qui genuit, & filium esse qui genitus sit: spiritum vero
sanctum non genitum, neque ingenitum, non creatum neq; fa-
ctum, sed de patre filioq; procedentem, patri & filio coæternum,
& coæqualem, & cooperatorem. Quia scriptum est, Verbo Do-
mini cœli firmati sunt, id est, à filio Dei: & spiritu oris eius omnis
virtus eorum. Et alibi, Emite spiritum tuum, & creabuntur, &
renouabis faciem terræ. Ideoq; in nomine patris, & filii, & spiri-
tus sancti, vnum confitemur Deum, quod nomen est potestatis,
non proprietatis. Proprium nomen est patri, pater, & proprium
nomen est filio, filius, & proprium nomen spiritui sancto, spiritus
sanctus. In hac trinitate vnum Deum colimus: quia ex uno pa-
tre quod est, vnius cum patre naturæ est, vnius substantiæ, & vni-
us potestatis. Pater filium genuit, non voluntate, nec necessitate,
sed natura. Filius ultimo tempore ad nos saluandos, & ad implem-
das scripturas descendit à patre, qui nunquam desijt esse cum
patre. Et conceptus est de spiritu sancto, & natus ex virgine. Car-
nem, & animam, & sensum, hoc est perfectum suscepit homi-
nem, nec amisit quod erat, sed cœpit esse quod non erat, ita
tamen ut perfectus in suis sit, & verus in nostris. Nam qui Deus
erat, homo natus est, & qui homo natus est, operatur ut Deus, &
qui operatur ut Deus, ut homo moritur, & qui ut homo mori-
tur, ut Deus resurgit.

Qui deuictio mortis imperio, cum ea carrie, qua natus, & paſſus, & mortuus fuerat, & resurrexit, ascendit ad patrem, sed et que ad dexteram eius in gloria, quam semper habuit & habet. In huius morte & sanguine credimus emundatos nos, & ab eo reſuscitandos die nouissimo, in hac carne qua nunc vivimus. Et habemus spem nos consequuturos præmium boni meriti, aut pœnam pro peccatis æterni supplicij. Hæc lege, hæc crede, hæc retine, huic fidei animam tuam subiuga, & vitam conqueraris, & præmium à Christo.

E A D E M porro docuit & credidit, cum beato Damaso & Athanasio, S. Petrus Alexandrinus Episcopus, sicut facile colligitur, ex Trip. Hist. lib. 7, cap. 37. & lib. 8, cap. 14.

Cum autem nos omnes simus huius fidei religionisque, speramus nos ab omnibus habendos, non pro haereticis, sed pro Catholicis & Christianis, &c.

POST LIBELLVM IMPRES-
SVM SVBNOTATA.

Fol. 9. linea 15. post curiosas, adde, nisi forte cum haeretorum aut alioqui importunorum hominum improbitas cogit ista etiam ex verbo Dei explicare, sicut fecerunt non raro pū Ecclesie doctores.

Mox in eod. fol. linea 27. distingue, sed et mala non esse que sunt, respell.

Fol. 12. linea 4. lege, qui extra Christum querunt, An sunt electi.

Fol. 13. linea 21. expunge hypostases, et lege duas naturas.

Fol. 14. facie 2. linea 7. lege. Porro passione & morte sua, omnibusq; adeo, quæ à suo in carne aduentu, nostra causa fecit, & perculit, reconciliauit omnibus, &c.

CONFESSIO

CONFESSIO ET EX- POSITIO BREVIS ET SIMPLEX SYNCERAE RE- ligionis Christianæ, &c.

DE SCRIPTURA SANCTA,
VERO DEI VERBO.

I.

REDIMVS ET CONFITEMVR *Scriptura*
scripturas Canonicas sanctorum Prophe *Canonica*.
tarum & Apostolorum utriusque Testa-
menti, ipsum uerum esse uerbum Dei:
& authoritatem sufficientem ex semetip̄sis non ex
homini bus habere. Nam Deus ipse loquitus est pa-
tribus, prophetis, & apostolis, & loquitur adhuc no-
bis per scripturas sanctas. Et in hac scriptura sancta ha
bet uniuersalis Christi ecclesia plenissimè exposita,
quæcunq; pertinent cùm ad saluificam fidem, tum ad
uitam Deo placentem, rectè informandam. Quo no-
mine distinctè à Deo præceptum est, ne ei aliquid uel
addatur uel detrahatur. Sentimus ergo ex hisce scri- *Scriptura*
pturis petendam esse ueram sapientiam & pietatem, plenè docet
ecclesiarum quoq; reformationem & gubernationē, *omnem pietatem.*
omniumq; officiorum pietatis institutionem, proba-
tionem deniq; dogmatum, reprobationemq; aut erro
rum confutationem omnium, sed & admonitiones o-
mnes, iuxta illud Apostoli, Omnis scriptura diuinitus
inspirata, utilis est ad doctrinam, ad redargutionem,
&c. 2. Timoth. 3. Et iterum, Hæc tibi scribo, inquit ad
Timoth. Apostolus in 1. cap. 3. Ut noris quomodo o-

A

CONFESSIO ET EXPOSITIO

Scriptura
uerbum Dei
est.

porteat te uersari in domo Dei, &c. Et idem ille rursus ad Thes. Cum ait, acciperetis sermonem a nobis, acceptis nostris sermonibus hominum, sed sicut erat uerbum sermonem Dei, &c. 1. Thess. 2. Nam ipse in Euangelio dixit Dominus. Non uos estis loquentes illi, sed spiritus patris mei loquitur in uobis. Ergo qui uos audit me audit, qui autem uos spernit, me spernit.

Matth. 10.

Luc. 10.

Ioan. 13.

Prædicatio
uerbi Dei est
uerbum Dei.

Ierem. 31.
2. Cor. 3.
Ieuan. 6.

Interior illu-
minatio non
tollit exter-
nam prædica-

Proinde cum hodie hoc Dei uerbum per prædictatores legitimè uocatos annunciatum in ecclesia, credimus ipsum Dei uerbum annunciarum, & a fidelibus recipi, neq; aliud Dei uerbum uel fingendum uel cœlitus esse expectandum; atque in præsentis spectandum esse ipsum uerbum, quod annunciatum, non annunciatum ministrum, qui etsi sit malus & peccator, uerum tamen & bonum manet nihilominus uerbum Dei. Neque arbitramur prædicationem illam externam tanquam inutilem ideo uideri, quoniam pendeat institutio ueræ religionis ab interna spiritus illuminatione: propterea quod scriptum sit, Non erudit quis proximum suum. Omnes enim cognoscunt me. Et, Nihil est qui rigat, aut qui plantat, sed qui incremetum dat Deus. Quanquam enim nemo ueniat ad Christum, nisi trahatur a patre cœlesti, ac intus illuminetur per spiritum sanctum, scimus tamen Deum omnino uelle prædicari uerbum Dei etiam foris. Evidem potuisse per spiritum suum sanctum, aut per ministerium angeli, absque ministerio S. Petri instituisse Cornelium in Actis Deus, cæterum rejecit huc nihilominus ad Petrum: de quo angelus loquens, Hic, inquit, dicit tibi quid oporteat te facere. Qui enim intus illuminatus, donato hominibus spiritu sancto, idem ille præcipientis dixit ad discipulos suos, Ite in mundum uniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Vnde Paulus,

Paulus Lydiæ, apud Philippos, purpurariæ, prædicatio-
nem.
uit uerbum exterius, interius autem aperuit mulieri Marc. 16.
cor Dominus: idemq; Paulus collocata gradatione
Auctor. 16.
eleganti ad Rom. 10. tandem infert, Ergo fides ex au-
ditu est; auditus autem per uerbum Dei. Agnoscimus
interim Deum illuminare posse homines, etiam sine
externo ministerio, quos & quādo uelit; id quod eius
potentia est. Nos autem loquimur de usitata ratione
instituendi homines, & præcepto & exemplo tradita
nobis à Deo.

Execramur itaq; omnes hæreses Artemonis, Ma- Heres.
nicorum, Valentianorum, Cerdonis & Martio-
nitarum, qui negarunt scripturas è spiritu sancto pro-
fектas; uel quasdam illarum non receperunt, uel inter-
polarunt & corruerunt. Interim nihil dissimulamus
quasdam V et. Test. libros à ueteribus nūcupatos esse
Apocryphos, ab alijs Ecclesiasticos, utpote quos in Apocryphas.
ecclesijs legi uoluerunt quidem, non tamen proferri
ad authoritatem ex his fidei confirmandam. Sicuti &
Augustinus in lib. de ciuitat. Dei 18. cap. 38. cōmemo-
rat, in libris Regum adduci prophetarum quorundā
nomina & libros, sed addit, hos nō esse in Canone, ac
sufficere ad pietatem eos libros quos habemus.

DE INTERPRETANDIS SCRIBI-

*pturis sanctis, & de Patribus, Concilijs,**& Traditionibus.*

II.

SCRIPTURAS sanctas dixit apostolus Petrus non scripturam
esse interpretationis priuatæ. Proinde non uera interpre-
tabilis probamus interpretationes quaslibet: unde 2. Pet. 1.

CONFESSIO ET EXPOSITIO

nec pro uera aut genuina scripturarum interpretatione agnoscimus eū, quē uocant sensum Romanę ecclesię, quem, scilicet, simpliciter, Rom. ecclesię defensores omnibus obtrudere contendunt recipiendum: sed illam duntaxat scripturarum interpretationem pro orthodoxa & genuina agnoscimus, quæ ex ipsis est petita scripturis (ex ingenio utiq; eius linguae, in qua sunt scriptæ, secundum circumstantias item expensæ, & pro ratione locorum uel similiū uel dissimiliū, plurim quoq; & clariorum expositæ) cum regulā fidei & charitatis congruit, & ad gloriam Dei hominumq; salutem eximiè facit.

Sanctorum patrum ex-positiones.

Concilia.

Index quis?

Proinde non aspernamur sanctorum patrū Graecorum Latinorumq; interpretationes, necq; reprobamus eorundem disputationes ac tractationes rerum sacrarum, cum scripturis consentientes: à quibus iamen recedimus modestè, quando aliena à scripturis aut his contraria adferre deprehenduntur. Nec putamus illis ullam à nobis hac re iniuriam irrogari, cum omnes uno ore nolint sua scripta æquari Canonicis, sed probare iubeant, quatenus uel consentiant cum illis, uel dissentiant, iubeantq; consentientia recipere, recedere uero à dissentientibus. Eodem in ordine collocantur etiam conciliarū definitiones uel canones.

Quapropter non patimur nos in controversijs religionis uel fidei causis urgeri nudis patrū sententijs, aut conciliarū determinationibus, multò minus receptis consuetudinibus, aut etiam multitudine idem sentientium, aut longi temporis præscriptione. Ergo non alium sustinemus in causa fidei iudicem, quam ipsum Deum, per scripturas sanctas pronunciantē, quid uerum sit, quid falsum, quid sequendum sit, quid uerum suigendum. Ita iudicijs non nisi spiritualium heminum,

ex uera-

ex uerbo Dei petitis acquiescimus. Ieremias certe cæteris prophetæ Sacerdotum concilia, cōtra legem Dei instituta, damnarunt grauiter, ac monuerunt diligenter, ne audiāmus patres, aut insīstamus uīz illorū, qui in suis ambulantes adiumentionibus à lege Dei deflexerunt.

Pariter repudiamus Traditiones humanas, quæ ^{Traditiones} tametsi insigniantur speciosis titulis, quasi diuinæ a- humanae. postolicæq; sint, uiua uoce Apostolorum, & ceu per manus uirorum apostolicorum, succendentibus Episcopis Ecclesiæ traditæ, compositæ tamen cum scripturis, ab his discrepant, discrepantiaq; illa sua ostendunt, se minime esse apostolicas. Sicut enim Apostoli inter se diuersa non docuerunt, ita & apostolici non contraria Apostolis ediderunt. Quinimò impium esset asseuerare apostolos uiua uoce contraria scriptis suis tradidisse. Paulus disertè dicit eadem se in 1. Cor. 4. omnibus ecclesijs docuisse. Et iterū, Non alia, inquit, 2. Cor. 1. scribimus uobis quam quæ legitis aut etiam agnoscitis. Alibi rursus testatur se & discipulos suos, id est, 2. Cor. 12. uiros apostolicos, eadem ambulare uia & eodem spiritu pariter facere omnia. Habuerunt quondam & Matth. 15. Iudæi suas traditiones seniorum, sed refutatæ sunt Marc. 7. grauiter à Domino, ostendente quod earum observatione legi Dei officiat, & his Deus frustra colatur.

DE DEO, V N I T A T E E I V S,
ac Trinitate.

III.

DEUM credimus & docemus unum esse esse ^{Deus unus} natura, per se subsistentem, sibi adem est. nia sufficientem, inuisibilem, incorporeum,

CONFESSIO ET EXPOSITIO

immensum, æternum, crearem rerum omniū, cùm
uisibilium, tum inuisibilium, summum bonum, ui-
uum, & omnia uiuificantem & conseruantem, om-
nipotentem, & summè sapientem, clementem, siue
misericordem, iustum atq; ueracem. Pluralitatem ue-
rò Deorum abominamur: quod diserte scriptum sit,
Deut. 6. Dominus Deus tuus unus est. Ego sum Dominus
Exodi 20. Deus tuus, non sint tibi Dīj alieni ante faciem meam.
Isiae 45. Ego Dominus & nullus ultra, præter me non est
Deus. An non ego Dominus, & non est alius præter
me solum? Deus iustus & saluans, nullus præter me.
Ego Iehouah, Iehouah, Deus, misericors, clemens
& longanimitis, immensæ bonitatis & ueritatis, &c.
Exodi 34.

Deus trinus
cst. Eundem nihilominus Deum immensum, unum &
indivisum, credimus & docemus personis insepara-
biliter & inconfusè esse distinctum, patrem, filium, &
spiritum sanctum, ita ut pater ab æterno filiū genera-
uerit, filius generatione ineffabili genitus sit, sp̄ritus
sanctus uero procedat ab utroq; idq; ab æterno, cum
utroq; adorandus: ita ut sint tres non quidem Dīj, sed
tres personæ consubstantiales, coæternæ, & coæqua-
les, distinctæ quoad hypostases, & ordine alia aliam
præcedens, nulla tamen inæqualitate. Nam quo ad
naturam uel essentiam, ita sunt cōiunctæ ut sint unus
Deus, essentiaq; diuina cōmunis sit patri, filio, & spi-
ritui sancto. Distinctionem enim personarum mani-
festam tradidit nobis scriptura, angelo ad diuam
uirginem inter alia dicente: Spiritus sanctus superue-
niet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi. Et quod
nasceretur sanctum, uocabitur filius Dei. Sed & in ba-
ptismo Christi, auditur uox coelitus delata super Chri-
sto dicens, Hic est filius meus dilectus, Apparebat &
spiritus

Luke 1.

Math. 3.

spiritus sanctus in specie columbae. Cumque ipse iubet ^{Iohann. 1.}
ret baptizare Dominus, iussit baptizare in nomine ^{Matth. 28.}
patris, & filij, & spiritus sancti. Item alibi in euangeli-
o dixit, spiritum sanctum mittet pater nomine
meo. Idem iterum, Cum, inquit, uenerit paracletus, ^{Iohann. 14. 23.}
quem ego mittam uobis a patre, spiritus ueritatis,
qui a patre procedit, ille testimonium perhibebit de
me, &c. Breuiter, recipimus Symbolum apostolorum
quod ueram nobis fidem tradit.

Damnamus ergo Iudeos & Mahumetistas, omnes ^{Hereses.}
nec sacrosanctam & adorandam hanc Trinitatem blas-
phemantes. Damnamus item omnes haereses atque ha-
reticos docentes filium & spiritum sanctum nuncupati-
onem esse Deum, item creatum ac seruens aut al-
teri officiale esse in trinitate, esse in ea denique inaequa-
le, maius aut minus, corporeum aut corporaliter effi-
giatum, moribus uel uoluntate diuersum, aut confu-
sum uel solitarium, quasi filius & spiritus sanctus affe-
ctiones & proprietates sint unius Dei patris: ut Mo-
narchici senserunt, Nouatiani, Praxeas, Patripassiani,
Sabellius, Samosatenus, Aetius, Macedonius, An-
thropomorphitae, Arius, & similes.

DE IDOLIS VEL IMAGINIBVS.

Dei, Christi, & Diuorum.

III.

 Voniam uero Deus spiritus est inuisibilis & ^{Imagines}
immensa essentia, non potest saneulla arte Dei.
aut imagine exprimi, unde non ueremur
cum scriptura, simulachra Dei, mera nuncupare men-
dacia. Rejicimus itaque non modò gentium idola, sed
& Christianorum simulachra. Tametsi enim Christus

C O N F E S S I O E T E X P O S I T I O

*Imagines
Christi.*

Matth. 5.

Deut. 4.

Isa. 40.

Ioan. 16.

2. Cor. 5.

1. Cor. 3.

2. Cor. 6.

Aucto. 3. 14.

Apoc. 14. 22.

*Imagines di-
uorum.*

Marci 16.

*Scriptura
Laicorum.*

Psalm. 115.

Lactantius.

*Epiphanius
& Hierony-
mus.*

humanam assumpserit naturam, non ideo tamen as-
sumpsit, ut typum præferret statuarijs atq; pictoribus.
Negauit se uenisse ad soluendum legem & prophe-
tas. At lege & prophetis prohibitæ sunt imagines.
Negauit corporalem suam ecclesiæ profuturam præ-
sentiam: spiritu suo se nobis perpetuò affuturum pro-
misit: quis ergo crederet umbram uel simulachrum
corporis aliquam conferre pijs utilitatem? Cumq; tem-
pore maneat in nobis per spiritum suum, sumus utiq; tem-
pla Dei. Quid autem conuenit templo Dei cum simu-
lachris? Et quando beati spiritus ac diui cœlites, dum
hic uiuerent omnem cultum sui auerterūt, & statuas
oppugnarunt, cui uerisimile uideatur diuis cœli-
tibus & angelis suas placere imagines, ad quas ge-
nua flectunt homines, detegunt capita, alijsq; profe-
quuntur honoribus?

Vt uerò instituantur homines in religione, ad mo-
neanturq; rerum diuinarum & salutis suæ, prædicare
iussit Euangelium Dominus, non pingere & pictura
laicos erudire: sacramenta quoq; instituit, nullibi sta-
tuas constituit. Sed & passim quoquo uertamus ocu-
los, occurruunt res creatæ à Deo uiuæ & ueræ in ocu-
los nostros, que si obseruetur, ut par est, longè euiden-
tius mouent aspectantem, quam omnes omnium ho-
mínium imagines uel picturæ uanæ, immobiles, mar-
cidæ atq; mortuæ. De quibus uerè dixit propheta, Oc-
culos habent & non uident. &c. Idecirco approbamus
Lactantij ueteris scriptoris sententiā, dicentis, Non
est dubium, quin religio nulla sit, ubi cuncti simula-
chrum est. Recte item fecisse asserimus beatum Epi-
scopum Epiphaniū qui in foribus ecclesiæ inueniens
uelum, habens depictam imaginem quasi Christi uel
sancti cuiuspiā, scidit atq; sustulit: quod contra autho-
ritatem

ritatē scripturarū uidisset in ecclesia Christi hominis pendere imaginem. Ideoq; præcipiebat ne deinceps in ecclesia Christi eiusmodi uela, quæ contra religionem nostram ueniunt, appenderentur, sed tolleretur potius illa scrupulositas, quæ indigna sit ecclesia Christi & populis fidelibus. Præterea approbamus hanc S. Augustini de uera religione sententiam, Non sit nobis religio humanorum operum cultus. Meliores enim sunt ipsi artifices qui talia fabricantur: quos tamen colere non debemus. Cap. 55.

DE ADORATIONE, CVLTV, ET
invocatione Dei, per unicum mediatorem
Iesum Christum.

V.

Deuū uerum docemus solum adorare & colere. Hunc honorem communicamus nemini, iuxta mandatum Domini, Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles, uel, & huic uni seruies. Certe omnes prophetæ grauissimè inuesti sunt contra populum Israelis, quandocunq; Deos alienos, non unum solum Deum uerum adorarunt & coluerunt. Adorandum autem colendumq; docemus Deum, sicuti ipse nos colere docuit, in spiritu uidelicet & ueritate, non cum ulla superstitione, Ioan. 4. sed cum synceritate, secundum uerbum eius: ne aliquando ad nos etiam dicat, Quis requisiuit hæc ex manibus uestris? Nam & Paulus, Deus non colitur, ait, humanis manibus, tanquam qui ipse aliquo indigeat, &c. Eundem solum invocamus in omnibus discriminibus & casibus uitæ nostræ, idq; per interuenitum unici mediatoris & intercessoris nostri Iesu Christi

Deus solus
adorandus
& colendus.
Matth. 4.

Isaie 66.
Ierem. 7.
A&o. 17.

Solus Deus
per unius
Christi inter
uenientem est
invocandum.

B

CONFESSIO ET EXPOSITIO

Psalm. 50. si. Disertè enim præceptum est nobis, Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & glorificabis me. Sed & liberalissimè nobis promissum est à domino, dicente, Quicquid petieritis à patre meo, dabit uobis. Item, Venite ad me, quotquot laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Et cum scriptum sit, Quomodo inuocabunt eum, in quem non crediderunt? nos uero in solum Deum credamus, solum certè inuocamus: & quidem per Christum. Vnus enim Deus, ait Apostolus, & unus mediator Dei & hominum Christus Iesus. Item, Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, &c.

Domi non adorandi colendi inuocandi. Proinde sanctos cœlites siue diuos, nec adoramus, neq; colimus, nec inuocamus, neq; illos coram patre in cœlis pro intercessoribus aut mediatoribus nostris agnoscimus. Sufficit enim nobis Deus, & mediator Christus, neq; honorem soli Deo & filio eius debitum alijs communicamus: quod ille disertè dixerit, Gloria meam alteri nō dabo. Et quod Petrus dixit, Nō aliud hominibus nomen datum, in quo oporteat saluos fieri, nisi nomen Christi. In quo sane qui per fidem acquiescent, non quærunt extra Christum quicquam.

Honor diuis debitus & impendens. Interim Diuos, nec contemnimus, nec uulgariter de eis sentimus. Agnoscimus enim eos esse uiua Christi membra, amicos Dei, qui carnem & mundum gloriose uicerunt. Diligimus ergo illos ut fratres, & honoramus etiam, non tamen cultu aliquo, sed honorabil de eis existimatione, deniq; laudibus iustis. Imitamur item eos. Nam imitatores fidei uirtutumq; ipsorum, confortes item æternæ salutis, illis æternum apud Deum cohabitare, & cum eis in Christo exultare, desyderijs uotisq; ardentissimis exoptamus. Atque hac

Isaie. 42.
Alio. 4.

haec in parte approbamus illam S. Augustini de Vera religione sententiam, Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum. Quia si pie uixerint, non sic habentur, ut tales querant honores, sed illum a nobis coli uolunt, quo illuminante, laetantur meriti sui nos esse conseruos. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem, &c.

Multò uero minus credimus reliquias diuorum Reliquie san
adorandas esse aut colendas. Veteres isti sancti satis storum.
honorasse uidebantur, mortuos suos, si honeste man-
dassent terrae reliquias, postquam astra petiisset spiritus;
ac omnium nobilissimas reliquias maiorum existi-
mabant esse uirtutes, doctrinam & fidem: quas ut
commendabant cum laude mortuorum, ita eas ex-
primere annitebantur dum uiuebant in terris. Illi ipsi iurare per
ueteres non iurarunt nisi per nomen solius Dei Ieho nomen Dei
uah, sicuti lege diuina est praeceptum: qua sicut ueti-
tum est iurare per nomina alienorum Deorum, sic
nos iuramenta per diuos requisita non praestamus.
Rejicimus ergo in his oīnibus doctrinam diuis co-
litibus plus nimium tribuentem.

D E P R O V I D E N T I A D E I.

V I.

DE I huius sapientis æterni & omnipotentis Dei prout-
prouidentia, credimus cuncta in celo, & in dentia gu-
terra, & in creaturis omnibus conseruari & bernancur
gubernari. David enim testificatur & ait, Excelsus su omnia.
per omnes gentes Dominus, & super celos gloria
cius. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis
habitabit, & se demittit, ut inspiciat, que sunt in celo &
in terra; Idem rursus, Omnes uias meas, inquit, præ- Psalm.139.

CONFESSIO ET EXPOSITIO

A&to. 17.

uidisti. Quia non est uerbum in lingua mea, quod nō
uniuersum noueris domine, &c. Testificatur & Paulus & ait, Per ipsum uiuimus, mouemur, & sumus. Et,
Rom. 12. Ex illo, & per illum, et in illum omnia. Verissime ergo
& secundum scripturam pronunciauit Augustinus
in lib. de Agone Christ. cap. 8. Dominus dixit, Non-
Matth. 10. ne duo passeret asse ueniunt, & unus eorum non ca-
dit in terram sine uoluntate patris uestris. Ita uero lo-
quens, ostendere uoluit quicquid uilissimum homi-
nes putant, omnipotentia Domini gubernari. Sic
Matth. 6. enim & uolatilia cœli ab eo pasci, & lilia agri ab eo
uestiri, ueritas loquitur, quæ capillos etiam nostros
numeratos esse dicit, &c.

Epicurei.

Psalm. 94.

Damnamus ergo Epicureos, prouidentiam Dei ab-
negantes, omnesq; illos, qui blasphemè dicūt, Deum
uersari circa cardines cœli, & nos atq; nostra nec uide-
re nec curare. Damnauit hos etiam David propheta
regius, qui dixit, Quousq; Domine, quousq; impij ex-
ultabunt. Dicunt, Dominus non uidet, nec intelligit
Deus Iacob. Intelligite stupidi in populo, & stulti quā-
do demum sapientis. Is qui aurem condidit, an non au-
diret? & qui oculum finxit, quomodo non uideret?

*Media non
aspernanda.*

Interim uero media per quæ operatur diuina prouiden-
tia, non aspernamur, ut in utilia, sed his hactenus
nos accomodandos esse docemus, quatenus in uerbo
Dei nobis commendantur. Vnde illorum uoces teme-
rarias improbamus, qui dicunt, Si prouidentia Dei o-
mnia geruntur, inutiles certè sunt conatus nostri &
studia nostra. Satis fuerit, si omnia diuinæ permitta-
mus prouidentiæ gubernanda, nec erit quod porro si
mus solliciti de re ulla, aut quicquam faciamus. Tamet
A&to. 23. si enim Paulus agnosceret se in Dei prouidentia nau-
gare, qui ipsi dixerat, Oportet te & Romæ testificari:
qui

qui insuper promiserat dixeratq; lactura nulla erit ul Acto. 27.
 lius animæ, nec cadet pilus de capite uestro, nihilomi
 nus meditantibus fugā nautis, dicit idem ille Paulus
 centurioni & militibus, Nisi hi in nauī manserint, uos
 seruari non poteritis. Deus enim qui cuilibet rei suū
 destinauit finem, is & principium & media, per quæ
 ad finem usq; peruenitur, ordinauit. Ethnici fortuna
 res attribuunt cæcæ, & incerto casui. S. Iacobus non Iacob. 4.
 uult ut dicamus, Hodie & cras in illam urbem profici
 scemur & negotiabimur; sed addit, Pro eo quod dice-
 re debueritis, si Dominus uoluerit & uixerimus, hoc
 uel illud faciemus. Et Augustinus, Omnia quæ uanis
 uidentur in rerum natura temere fieri, non faciunt ni
 si uerbum eius: quia non sunt nisi iussu eius, Enarrat.
in Psal. 148. Ita uidebatur forte fortuna fieri, quod
 Saul quærens patris asinas, incidit in prophetam Sa- 1. Sam. 9.
 muelem: sed antea dixerat Dominus ad prophetam,
 Cras mittam ad te uirum de tribu Beniamin, &c.

DE C R E A T I O N E R E R V M O=
 mnium, de Angelis, Diabolo, & Homine.

VII.

Deu s hic bonus & omnipotens creauit omnia Deus creauit
omnia.
 cùm uisibilia tum inuisibilia, per uerbum suū
 coeterum, eadēq; quoq; conseruat per spiritū
 suum coeterum, testificante Dauide atque dicente, Psal. 33.
 Verbo Dei cœli facti sunt, & in spiritu oris eius om-
 nis uirtus eorum. Omnia autem quæ condidit Deus, erat,
 ut scriptura ait, ualde bona, & ad utilitatem usumq;
 hominis cōdita. Cuncta uero illa dicimus ab uno pro-
 fecta esse principio. Damnamus ergo Manichæos & Manichæos &
 Marcionitas, qui impiè fingebant duas substantias at Marcionites.

CONFESSIO ET EXPOSITIO

que naturas boni & malī, duo item príncipia, & duos
sibi aduersos Deos, bonum & malum.

De angelis
et diabolo.
Psal. 104.
Hebr. 1.

Iacob. 8.

De homine.

Gen. 2.

Selce.

Inter omnes creatureas præstant angelī atq; homi-
nes. De angelis pronunciat diuina scriptura, Qui cre-
at angelos suos spiritus, & ministros suos flammarū i-
gnis. Item, Nonne omnes sunt administratorū spiri-
tus, qui in ministerium emittuntur, propter eos qui
hæredes sunt salutis? Dominus uerò Iesus ipse testifi-
catur de Diabolo, Ille, inquit, homicida erat ab initio,
& in ueritate non stetit, quia nō est ueritas in eo. Cum
loquitur mendacium, ex proprijs loquitur; quia men-
dax est, atque eius rei pater. Docemus ergo angelos
alios quidem perstítisse in obedientia, ac ad fidele Dei
& hominū ministerium esse deputatos: alios uerò
sua sponte lapsos, & in exitium esse præcipitatos, fa-
ctosq; esse omnis boni fideliumq; hostes, &c.

Iam uerò de hominē dicit scriptura, quod ab initio
conditus sit bonus, ad imaginē & similitudinem Deit
quod Deus collocauerit eum in paradysum, subiece-
ritq; ei omnia. Id quod David magnificè celebrat in
Psal. 8. Addidit insuper ei coniugē, ac benedixit eis.
Dicimus autem constare hominem duabus ac diuer-
sis quidem substantijs, in una persona, anima immor-
tali, utpote quæ separata à corpore, nec dormit, nec in-
terit, & corpore mortali, quod tamen in ultimo iudi-
cio à mortuis resuscitatib; ut totus homo inde, uel in
uita, uel in morte, æternum maneat. Damnamus o-
mnes, qui irrident, aut subtilibus disputationibus,
in dubium uocant immortalitatem animarum, aut
animam dicunt dormire, aut partem esse Dei. Bre-
uiter damnamus omnes omnium opiniones, quot-
quot diuersa sentiunt de creatione, de angelis & dæ-
monibus, & homine, ab hjs quæ nobis tradita sunt per
scriptu-

scripturas sanctas, in apostolica Christi ecclesia.

DE LAPSY HOMINIS, ET
peccato, & causa peccati.

VIII.

Vit homo ab initio à Deo conditus ad imam ^{Lapsus hominis.} ginem Dei, in iustitia & sanctitate ueritatis, bonus & rectus, sed instinctu serpentis, & sua culpa, à bonitate & rectitudine deficiens, peccato, morti, uarijsq; calamitatibus factus est obnoxius. Et qualis factus est à lapsu, tales sunt omnes, qui ex ipso prognati sunt, peccato inquam, morti, uarijsq; obnoxij calamitatibus. Peccatum autem intelligimus esse Peccatum, natuam illam hominis corruptionem, ex primis illis nostris parentibus, in nos omnes deriuatam uel propagatam, qua concupiscentijs prauis immersi, & à bono auersi, ad omne uero malum propensi, pleniori nequitia, dissidentia, contemptu & odio Dei, nihil boni ex nobis ipsis facere, imò ne cogitare quidem possumus. Quinimò accendentibus iam etiam annis, cogitationibus, dictis & factis prauis, contra legem Dei ^{Matth. 12.} admissis, corruptos fructus, mala arbore dignos, profserimus: quo nomine, merito nostro, ira Dei obnoxij, poenis subiçimur iustis: adeoq; à Deo abieci essemus omnes, nisi reduxisset nos Christus liberator.

Per mortem itaq; intelligimus non tantū corporeā Mors. mortem, quæ omnibus nobis semel, propter peccata, est obeunda, sed etiam supplicia sempiterna peccatis & corruptioni nostre debita. Nam apostolus, Eramus ^{Ephes. 2.} mortui, inquit, delictis ac peccatis, & eramus natura filii iræ, sicut & cæteri. Sed Deus, qui diues est misericordia, cum essemus mortui per delicta, conuiuiscas

CONFESSIO ET EXPOSITIO

Rom. 5.

uit nos unā cum Christo, Item, Sicut per unum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors, & ita in omnes homines mors transiit, in quo omnes peccarunt.

*Originale
peccatum.*

Agnoscimus ergo in omnibus hominibus esse originale peccatum: agnoscimus omnia alia peccata, quæ ex hoc oriuntur, & dici, & uerè esse peccata, qualiter cunctæ nomine nuncupentur, siue mortalia, siue uenia lia, siue illud quoque, quod uocatur peccatum in spiritum sanctum, quod nunquam remittitur. Fatemur etiam peccata non esse æqualia, licet ex eodem corruptionis & incredulitatis fonte extoriat, sed alia alijs esse grauiora. Sicut Dominus dixit, Sodomæ tolerabilius futurum, quam urbi reiœcti uerbum Euangeli.

*Actualia pec-
cata.*

Damnamus ergo omnes, qui his contraria docuerunt, imprimis uero Pelagium & omnes Pelagianos, una cum Iouinianistis, peccata cum Stoicis paria facientibus. Sentimus per omnia in hac causa cum S. Augustino, qui sua ex scripturis sanctis protulit atque defendit. Damnamus præterea Florinum & Blastum, contra quos & Irenæus scripsit, & omnes qui Deum faciunt authorem peccati. Cum diserte scriptum sit, Tu non es Deus, qui uelit iniuriam. O disti omnes qui operantur iniuriam, perdes omnes qui loquuntur mendacium. Et iterum, Cum loquitur diabolus mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater eius rei. Sed & in nobis ipsis satis est uitij corruptionis que, ut nihil necesse sit Deum infundere nobis nouam aut auctiorem prauitatem. Proinde quādo dicitur in scripturis Deus indurare, excæcare, & tradere in reprobum sensum, intelligendum id est, quod iusto iudicio Deus id faciat, tanquam iudex & ultior iustus. Denique quotiescumque Deus aliquid mali in scriptura facere dicuntur

*Marc. 3.
1. Ioan. 5.*

Math. 10. 11.

Secte.

*Deus non est
author pec-
cati, & qua-
tenus indu-
rare dica-
tur.*

Psal. 5.

Ioan. 8.

citur atq; uidetur, non ideo dicitur, quod homo malū non faciat, sed quod Deus fieri sinat & non prohibeat, iusto suo iudicio, qui prohibere potuisset si uoluisset: uel quod malo hominum bene utatur, ut peccatis fratrum Iosephi: uel quod ipse peccata gubernet ne laetus, quām par est, erumpant atque graffentur. S. Augustinus in Enchiridio suo, Mīro modo, inquit, & ineffabili non sit præter uoluntatem eius, quod etiam sit contra uoluntatem eius. Quia nō fieret, si fieri non sineret. Nec utiq; nolens sinit, sed uolens. Nec sineret bonus fieri male, nisi omnipotens etiam de malo face re posset bene. Hæc ille. Reliquas quæstiones, An Deus uoluerit labi Adamum, aut impulerit ad lapsum? Curiosæ quæstiones. aut quare lapsum non impediuerit: & similes quæstiones deputamus inter curiosas, sciētes Dominum prohibuisse, ne homo ederet de fructu prohibito, & trans gressionem puniuisse: sed & mala non esse, quæ fiunt respectu prouidentiæ Dei, uoluntatis ac potestatis Dei, sed respectu satanæ & uoluntatis nostræ, uoluntati Dei repugnantis.

DE LIBERO ARBITRIO,
ad eoque viribus hominii.

IX.

DOCEMUS in hac causa, quæ semper in ecclesia multas peperit conflictationes, conditionem uel statum hominis triplicem esse considerandum. Princípio qualis fuerit homo ante lapsum, rectus nimirum & liber, qui & in bono manere & ad malum potuit declinare: declinauerit autem ad malum, implicaueritque peccato & morti, & se & omne genus mortalium, sicuti dictum est antea,

Qualis homo fuerit ante lapsum.

C

CONFESSIO ET EXPOSITIO

Qualis homo fuerit post lapsum.

Homo sua sponte malum facit.

Homo non potest per se bonum.

1. Cor. 2.

2. Cor. 3.

Ioan. 8.

Rom. 3.

Deinde considerandum est qualis fuerit homo post lapsum. Non sublatus est quidem homini intellectus, non erecta ei uoluntas, & prorsus in lapidem uel truncum est commutatus: ceterum illa ita sunt immutata & imminuta in homine, ut non possint amplius, quod potuerunt ante lapsum. Intellectus enim obscuratus est: uoluntas uero ex libera, facta est uoluntas serua. Nam seruit peccato, non nolens, sed uolens. Etenim uoluntas, non noluntas dicitur. Ergo quoad malum siue peccatum, homo non coactus uel a Deo uel a dia-bolo, sed sua sponte, malum facit, & hac parte liberrimi est arbitrij. Quod uero non raro cernimus pessima ho-minis facinora & consilia impediri a Deo, ne finem suum consequantur, non tollit homini libertatem in malo, sed Deus potentia sua praeuenit, quod homo a lias liberè instituit. Sicut fratres Joseph, Iosephum liberè instituunt tollere: sed non possunt, quod Dei con-silio aliud uisum esset.

Quantum uero ad bonum & ad uirtutes, intellectus hominis, non recte iudicat de diuinis ex semetipsso. Requirit enim scriptura euangelica & apostolica regenerationem abs quolibet nostrum, qui saluari uelimus. Vnde natu-ritas prior ex Adamo, ad salutem nihil nobis confert. Paulus, Animalis homo, ait, non percipit ea quae sunt spiritus Dei, &c. Idem negat alii-cubi nos idoneos esse, ex nobis ipsis, cogitare aliquid boni. Constat uero mentem uel intellectum, ducem esse uoluntatis, cum aut cecus sit dux, claret quo usque & uoluntas pertingat. Proinde nullum est ad bonum homini arbitrium liberum, nondum renato, uiires nullae ad perficiendum bonum. Dominus in Euangelio dicit, Amen amen dico uobis, quod omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Et Paulus apostolus, Afflus

Etus carnis, inquit, inimicitia est aduersus Deum. Nam legi Dei non subditur, immo ne potest quidem. Porro terrenarum rerum intelligentia in lapso homine, non est nulla. Reliquit enim Deus ex misericordia ingenium, multum tamē distans, ab eo, quod inerat ante lapsum. Iubet Deus excolere ingenium, & addit dona simul & profectum. Et manifestum est, quā nihil proficiamus in artibus omnibus sine benedictione Dei. Scriptura certè omnes artes ad Deum refert. Nam & Ethnici retulerunt artiū origines ad iniūtores Deos.

Postremò uidendum, an regenerati sint liberi arbitrij, & quatenus in regeneratione, intellectus illuminatur per spiritum sanctum, ut & mysteria & uoluntatem Dei intelligat. Et uoluntas ipsa, non tantum mutatur per spiritum, sed etiam instruitur facultatibus, ut sponte uelit & possit bonum. Nisi hoc dederimus, Rom. 8. negabimus Christianam libertatem, & inducemos legalem seruitutem. Sed & propheta facit Deum loquenterem, Dabo legem meam in mentes illorum, & in cordibus eorum inscribam eas. Dominus quoque dicit in euangelio, Si filius uos liberauerit, uerè liberi eritis. Paulus quoq[ue] ad Phil. Vobis donatum est, inquit, Philip. 1. pro Christo, non solum, ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini. Et iterum, Persuasum habeo, quod is qui cœpit in uobis bonum opus, perficiet usque ad diem Domini Iesu. Item, Deus est qui agit in Philip. 2. uobis, & ut uelitis, & ut efficiatis.

Vbi interim duo obseruanda esse docemus. Primum regeneratos in boni electione & operatione, non tantum agere passiuè, sed actiuè. Aguntur enim à Deo, ut agant ipsi, quod agunt. Rectè enim Augustinus adducit illud, quod Deus dicitur, noster adiutor. Nequit autem adiuvari, nisi is, qui aliquid agit. Ma-

*intelligentia
artium.*

*Quales uires
regenerato-
rum, & quo-
modo sunt lie-
beri arbitrij.*

*Ierem. 31.
Ezech. 36.*

Ioan. 8.

Philip. 1.

Philip. 2.

C O N F E S S I O E T E X P O S I T I O

nichæi spoliabant hominem omni actione , & ueluti
saxum & truncum faciebant. Secundum in regene-
Infirmum in
regeneratis
liberum ar-
bitrium.
ratis remanere infirmitatem. Cum enim inhabitet in
nobis peccatum , & caro in renatis obluctetur spiri-
tui, in finem usque uitæ nostræ, non expedite omnino
perficiunt regenerati quod instituerant. Confirmantur
haec ab Apostolo ad Rom. 7. & Gal. 5. Proinde in-
firmum est nostrum illud liberum arbitrium, propter
reliquias remanentis in nobis, ad finem usque uitæ no-
stræ, ueteris Adami, agnatae corruptionis humanae.
Interim cum carnis uires & reliquæ ueteris hominis,
non ita sint efficaces, ut extinguant penitus spiritus
operationem, idcirco fideles liberi dicuntur, ita ta-
men, ut agnoscant infirmitatem, & nihil glorientur
de libero arbitrio. Semper enim animis fidelium ob-
uerari debet, quod toties inculcat beatus August. ex
Apostolo, Quid habes quod non acceperisti? & si acce-
peristi, quid gloriaris, quasi non acceperis? His accedit
quod non statim euenit, quod institueramus. Euentus
enim rerum positi sunt in manu Dei. Vnde Paulus
orat Dominum, ut prosperet iter suum. Vnde uel
hac causa infirmum est liberum Arbitrium.

Roma. 1.

In externis
est libertas.

Num. 24.
Luc. 1.

Hæreses.

Caterum nemo negat in externis , & regenitos &
non regenitos habere liberum arbitrium. Habet eni-
m homo hanc constitutionem cum animantibus alijs
(quibus non est inferior) communem, ut alia uelit,
alia nolit. Ita loqui potest aut tacere, domum egredi,
uel domi manere, &c. Quamuis semper & hic poten-
tia Dei obseruanda sit; quæ effecit, ut Balaam eò non
posset pertingere, quo uolebat, neq; Zacharias re-
diens ex templo, loqui posset, prout uolebat.

Damnamus in hac causa Manichæos, qui negant
homini bono, ex libero arbitrio fuisse initium mali.

Damna-

Damnamus etiam Pelagianos, qui dicunt hominem malum sufficienter habere liberum arbitrium, ad faciendum præceptum bonum. Redarguuntur utriq[ue] à scriptura sancta, quæ illis dicit, Fecit Deus hominem rectum; his uero dicit, Si filius uos liberauerit, uerè liberi estis.

DE PRAEDESTINAIONE DEI,
& Electione Sanctorum.

X.

Deus ab æterno prædestinavit uel elegit libe= Deus elegit
rē & mera sua gratia, nullo hominum respe= nos ex gra-
ctu, sanctos, quos uult saluos facere in Chri- tia.
sto, iuxta illud Apostoli, Deus elegit nos in ipso, ante= Ephes. 1.
quam iacerentur fundamenta mundi. Et iterum, Qui ^{a. Tim. 1.}
saluos fecit nos, & uocauit uocatione sancta, non se-
cundum opera nostra, sed secundum suum proposi-
tum & gratiam, quæ data quidem est nobis, per
Christum Iesum, ante tempora æterna, sed palam fa-
cta est nunc per apparitionem seruatoris nostri Iesu
Christi.

Ergo non sine medio, licet non propter illum me= in Christo
ritum nostrum, sed in Christo, & propter Christum, electi uel præ
nos elegit Deus, ut qui iam sunt in Christo insiti per
fidem, illi ipsi etiam sint electi, reprobū uero, qui sunt
extra Christum: secundum illud Apostoli, Vos ipsos ^{a. Cor. 13.}
tentate, num sitis in fide. An non cognoscitis uosmet=
ipos, quod Iesus Christus in uobis est: nisi sic ubi re=
probi estis. Deniq[ue] electi sunt sancti in Christo, per ^{Electi sumus}
Deum, ad finem certum, quem & ipsum exponit A= ^{ad finem cer-}
postolus & ait, Elegit nos in ipso, ut essemus sancti & tum.
irreprehensibiles coram illo per charitatem. Qui ^{Ephes. 1.}

CONFESSIO ET EXPOSITIO

Bene speran-
dum de om-
nibus.

prædestinavit nos , ut adoptaret in filios per Iesum Christum , in sece , ut laudetur gloria gratiae suæ. Et quamvis Deus norit , qui sint sui , & alicubi mentio fiat paucitatis electorum , bene sperandum est tamen de omnibus , neç temerè reprobis quisquam est annumerandus. Paulus certè ad Philippens. Gratias ago , inquit , pro omnibus uobis (loquitur autem de tota ecclesia Philippensi) quod ueneritis in communionem Euangeli , persuasum habens , quod is qui cœpit opus bonum in uobis , perficiet , sicut iustum est , ut hoc sentiam de uobis omnibus. Et cum Luc. 13.

An pauci ele-
cti.

rogaretur Dominus. An pauci sint qui saluētur , non respondet Dominus ac dicit , paucos aut plures fore seruandos , aut perdendos , sed hortatur potius , ut quisq; contendat ingredi , per portam arctam. Quasi dixerit , Vestrum non est de his curiosius inquirere , sed magis anniti , ut per rectam uiam cœlum ingrediamini.

Que dam-
panda in hac
causa.

Proinde non probamus impias quorundam uoces , qui dicunt , Pauci sunt electi , & cum mihi non constet , an sim in illo paucorum numero , genium meum non fraudabo. Alij dicunt , Si prædestinatus uel electus sum à Deo , nihil impediet me à salute certò iam definita , quicquid tandem designauero. Si uero sum de reproborum numero , nulla me uel fides uel pœnitentia iuuabit ; cum definitio Dei mutari non possit. Itaq; inutiles sunt doctrinæ & admonitiones omnes. Nam contra hos pugnat illud Apostoli : Oportet seruum Domini propensum esse ad docendum , eruditentem eos qui obseruit , si quando det Deus illis pœnitentiam , ad agnoscendum ueritatem , ut resipiscantur à laqueo diaboli , capti ab eo ad eius uoluntatem. Sed & Augustinus de Bono perseverantie cap.

2. Tim. 2.

14. &

14. & consequentibus, ostendit utrumque esse predicationem
 dum, & liberæ electionis prædestinationis quæ gratiam,
 & admonitiones & doctrinas salutares. Improbamus
 itaque illos, qui querunt, An sint ab æterno electi? Et est.
 quid ante omnem æternitatē de ipsis statuerit Deus?
 Audienda est enim predicatione euangeli, eique credens
 dum est: & pro indubitate habendum, si credis ac sis
 in Christo, electum te esse. Pater enim prædestinationis
 suæ æternam sententiam, sicut modo ex Apostolo
 2. Timoth. i. exposui, in Christo nobis aperuit. Docen-
 dum ergo & considerandum ante omnia, quantus
 amor patris erga nos in Christo nobis sit reuelatus:
 audiendum quid nobis quotidie in euangelio ipse
 dominus prædicet, quomodo uocet & dicat, Venite Matth. 11.
 ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego uos
 reficiam. Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum Ioan. 3.
 dederit pro mundo, ut omnis qui credit in eum, non
 pereat, sed habeat uitam æternam. Item, Non est uos Matth. 18.
 luntas patris, ut quisquam de his pusillis pereat, Chri-
 stus itaque sit speculum, in quo prædestinationem no-
 stram contemplemur. Satis perspicuum & firmum ha-
 bebimus testimonium, nos in libro uitæ inscriptos esse,
 si communicauerimus cum Christo, & si in uera fide
 noster sit, nos eius simus. Consoletur nos in tentatio- Tertio pro
 ne prædestinationis, qua uix alia est periculosior, destinationis.
 quod promissiones Dei sunt uniuersales fidelibus,
 quod ipse ait, Petrite & accipietis. Omnis qui petit ac Luce 11.
 cipit. Quod denique cum uniuersa Dei ecclesia ora-
 mus, Pater noster qui es in coelis: & quod baptismo
 sumus insiti corpori Christi, & pascimur in ecclesia
 eius carne & sanguine frequenter ad uitam æternam.
 His confirmati cum timore & tremore, iuxta præce-
 ptum Pauli, nostram salutem operari iubemur.

CONFESSIO ET EXPOSITIO
DE IESV CHRISTO VERO DEO
& Homine, vnico mundi Saluatorre.

XI.

Christus uer-
rus est Deus.

Isiae 35.
Mich. 5.
Ioan. 1.
Philip. 2.

1. Ioan. 5.

Hebr. 1.

Ioan. 17.

Ioan. 5.

Septe.

GRedimus præterea & docemus filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum ab æternō prædestinatum uel præordinatum esse, à Patre, Saluatorem mundi: credimusq; hunc esse genitum, non tantū, cum ex uirgine María carnem assumpsit, nec tantū ante iacta fundamenta mundi, sed ante omnem æternitatem, & quidem à patre, ineffabiliter. Nam Isaías dixit, Generationem eius quis enarrabit? Et Micheas, Et egressus eius à diebus æternitatis. Nam & Ioannes in euangelio dixit, In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum, &c. Proinde filius est patri iuxta diuinitatem coæqualis & cōsubstantialis, Deus uerus, non nuncupatione, aut adoptione, aut ulla dignatione, sed substantia atq; natura, sicut Ioan. Apostolus iterum dixit, Hic est uerus Deus, & uita æterna. Et Paulus quoq;, Filium ait, constituit hæredem omnium, per quem & secula fecit: idem est splendor gloriæ & character substantiæ eius, portans omnia uerbo potentiarum suarum. Nam in Euangelio ipse quoq; Dominus dixit, Pater glorifica tu me, apud temetipsum gloria, quam habui priusquam hic mūdus esset apud te. Nam & alibi in Euangelio scribitur, Iudæi quærebant occidere Iesum, quod patrem suum dixisset Deum, æqualem seipsum faciens Deo. Abominamur ergo Arrii & omnium Arrianorum impiam contra filium Dei doctrinam, imprimis uero Michaëlis Serueti Hispani & Seruetanorum omnium blasphemias, quas contra Dei filium Satan per illos, ueluti ex inferis hausit & in

& in orbem audacissimè & imp̄issimè dispergit.

Eundem quoque æterni Dei æternum filium cre- Christus uer-
dimus & docemus hominis factum esse filium, ex se- rus homo, uer-
mine Abrahæ atque Dauidis, non ex uiri coitu, quod ram habens
Hebion dixit, sed conceptum purissimè ex spiri- carnem.
tu sancto, & natum ex Maria semper uirgine: sicut Matth. 1.
diligenter nobis historia explicat Euangelica. Et Pau-
lus ait, Nullibi angelos assūmit, sed semen Abrahæ.
Ioannes item Apostolus, Qui non credit Iesum Chri-
stum in carne uenisse, ex Deo nō est. Caro ergo Chri-
sti, nec phantastica fuit, nec cœlitus allata, sicuti Va-
lentinus & Martion somniabant. Præterea anima Anima in
fuit Domino nostro Iesu Christo non absque sensu & Christoratio-
ratione, ut Apollinaris sentiebat, neque caro absque nalis.
anima, ut Eunomius docebat, sed anima cum ratione
sua, & caro cum sensibus suis, per quos sensus, ueros
dolores tempore passionis suę sustinuit: sicuti & ipse Matth. 26.
testatus est, & dixit, Tristis est anima mea usque ad Ioan. 11.
mortem. Et nunc anima mea turbata est, &c.

Agnoscimus ergo in uno atq; eodem Domino no- Due in Chri-
stro Iesu Christo, duas naturas aut hypostases uel sub- sto nature.
stantias, diuinam & humanam: & has ita dicimus con- Hebr. 2.
iunctas uel unitas esse, ut absorpta, aut confusa, aut
immixta non sint: sed saluis potius & permanentibus
naturarum proprietatibus, in una persona, unitæ uel
coniunctæ: ita ut unum Christum Dominum, non Non duo sed
duos ueneremur: unum inquam uerum Deum & ho- unus Chri-
minem, iuxta diuinam naturam patri, iuxta humanā stus.
uerò nobis hominibus consubstantiale, & per om- Hebr. 4.
nia similem, peccato excepto. Etenim, ut Nestorianū Secte,
dogma ex uno Christo duos faciens, & unionem per-
sonæ dissoluens, abominamur: ita Eutychetis & Mo-
nothelitarum uel Monophysicorum uesaniam, ex-

CONFESSIO ET EXPOSITIO

pungentem naturæ humanæ proprietatem execratur penitus. Ergo minimè docemus naturam in Christi diuinam passam esse, aut Christum secundum humanam naturā adhuc esse in hoc mundo, adeoçp esse ubique. Neque enim uel sentimus, uel docemus ueritatē corporis Christi à clarificatione delijisse, aut deificatam, adeoçp sic deificatam esse, ut suas proprietates, quoad corpus & animam, deposuerit, ac prorsus in naturam diuinam abierit, unaçp duntaxat substantia esse cœperit. Et proinde Schuenfeldij similiūm quæ leptologorum inargutas argutias, insititas, obscurasçp, & parum sibi constantes hac dē re dissertationes, haudquam probamus aut recipimus, neque Schuenckfeldiani sumus. Præterea credimus Dominum nostrū Iesum Christum, uerè passum & mortuum esse, pro nobis, sicut Petrus ait, carne. Abominamur Iacobitarum & omnium Turcarum, passionem Domini execrantium, imp̄iissimam uæsaniam. Interim non negamus & Dominum gloriæ, iuxta uerba Pauli, crucifixum esse pro nobis. Nam communicationē idiomatum, ex scripturis petitam, & ab uniuersa uestate in explicandis componendisçp scripturarum locis in speciem pugnantibus, usurpatam, religiosè & reuerenter, recipimus & usurpamus.

Sectio.

*Verè passus
est dominus
noster.*

1. Pet. 4.

*2. Cor. 2.
Communica-
tio idiomatiū.*

*Vera Christi
ex mortuis
resurrectio.*

Luc. 24.

Credimus & docemus cunctem Dominum nostrum Iesum Christum uera sua carne, in qua crucifixus & mortuus fuerat, à mortuis resurrexisse, & non aliam pro sepulta excitasse, aut spiritum pro carne suscepisse, sed ueritatem corporis retinuisse. Ergo dum discipuli eius arbitrarentur se Domini spiritum uideare, exhibit eis manus atque pedes, stigmatibus utique clauorum & uulnerum notatas, & addit, Aspici te manus meas & pedes meos: quia ego ipse sum. Conrecta-

trēctate me & uidete: quia spiritus carnem & ossa nō
habet, sicut uidetis me habere.

In eadem illa carne sua credimus ascendisse Do= Verain cœ+
minum nostrum Iesum Christum , supra omnes cœ= los Christi
los aspectabiles , in ipsum cœlum supremum , sedem ascensio.
uidelicet Dei & beatorum , ad dexteram Dei patris,
quæ, et si & gloriae maiestatisq; consortium æquale si=
gnificet, accipitur tamen & pro loco certo, de quo in
Euangelio loquens Dominus , dicit, Se abiturum & Ioan. 14.
suis paraturum locum. Sed & Apostolus Petrus , O- Actor.,
portet Christum , inquit , cœlum accipere, usque ad
tempus restitutionis omnium . Ex cœlis autem idem
ille redibit in iudicium , tum , quando summa erit in
mundo conseleratio , & Antichristus corrupta reli= Dan. 11.
gione uera, superstitione impietatisq; omnia oppleuit,
& sanguine atq; flâma ecclesiam crudeliter uastauit.
Redibit autem Christus asserturus suos, & abolitus
aduentu suo Antichristum , iudicaturusq; uiuos & Acto. 17.
mortuos. Resurgent enim mortui , & qui illa die (quæ 1. Thess. 4.
omnibus incognita est creaturis) superstites futuri Marc. 13.
sunt, mutabuntur in momento oculi , fidelesq; omnes
unâ obuiam Christo rapientur in aëra, ut inde cum
ipso ingrediantur in sedes beatas sine fine uicturi. In=
creduli uero uel impij descendant cum dæmonibus 1. Cor. 15.
ad tartara, in sempiternum arsuri, atque ex tormentis
nunquam liberandi. Damnamus ergo omnes negan= Matth. 25.
tes ueram carnis resurrectionem: aut qui cum Ioanne 2. Tim. 2.
Hierosolymitano, contra quem scripsit Hieronymus,
non recte sentiunt de clarificatis corporibus . Dam=
namus eos qui senserunt & dæmonas & impios om=
nes aliquando seruandos, & pœnarum finem futurū.
Simplíciter enim pronūciauit dominus, Ignis eorum Mare. 9.
nunquam extinguitur , & uermis eorum non mori-

C O N F E S S I O E T E X P O S I T I O

tur. Damnamus præterea Iudaica somnia, quod ante iudicij diem aureum in terris sit futurum seculum, & pñ regna mundi occupaturi, oppressis suis hostibus impñs. Nam euangelica ueritas Matth. 24. & 25. Luc. 17. 18. & Apostolica doctrina 2. Thes. 2. & in 2. ad Tim. 3. & 4. capite, longè aliud perhibere inueniuntur.

Fructus mortis et resurrectionis Christi.
Rom. 4. 10.
Cor. 7.
Ioan. 6. 11.

Porro passione uel morte sua reconciliauit omnibus fidelibus Dominus noster patrem cœlestem, expiauit peccatum, exarmauit mortem, condemnationemque & inferos confregit, ac resurrectione sua ex mortuis, uitam immortalitatem pñ reduxit, ac restituuit. Ipse enim est iustitia nostra, uita & resurrectio, deinde plenitudo & absolutio fidelium omnium, salusq; & sufficientia abundantissima. Apostolus enim, Sic placuit patri, inquit, omnem in ipso habitare plenitudinem, & in ipso estis completi, Coloss. 1. & 2.

Iesum Christum unicum esse mundi salvatorem et messiam uerum et ex pectatum.

Ioan. 10.

Ioan. 8.

Act. 4. 10. 15

1. Cor. 10.

Docemus enim ac credimus hunc Iesum Christum, Dominum nostrum, unicum & æternum, genitorem humani, adeoq; totius mundi esse seruatorem, in quo per fidem seruati sint, quotquotante legem, sub lege, & sub euangelio salutisunt, & quotquot adhuc in finem usque seculi saluabuntur. Nam ipse Dominus in euangelio dicit, Qui non intrat per ostium in stabulum ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Ego sum ostium ouium. Item alibi in eodē euangelio, Ioā. 8. Abraham uidit diem meum, & gauisus est. Sed & Petrus Apostolus, Non est in quoquam alio, inquit, nisi in Christo salus. Neque aliud nomen est, sub cœlo, datum inter homines, in quo oporteat nos salvos fieri. Credimus ergo per gratiam Domini Iesu Christi nos seruatum iri, sicuti & patres nostros. Nam & Paulus ait, Omnes patres nostros eandem escam spiritualem edisse, & omnes eundem potum spiritualem

lem bibisse: bibisse autem de spirituali ipsos conseq-
quente Petra, Petram uero Christum fuisse. Ideoque le-
gimus & Ioannem dixisse, Christum esse agnum illū, *Apoc. 13.*
qui occisus sit ab origine mundi: & Baptistam testa- *Ioan. 1.*
tum, Christum esse agnum illum Dei, qui tollat pecca-
tum mundi. Vnde pleno ore profitemur & prædicam-
mus, Iesum Christum unicum esse mundi redem-
ptorem & Saluatorem, Regem & Pontificem maxi-
mum, Messiam uerum & expectatum illum inquam
sanctum benedictum, quem omnes legis typi & uati-
cinia prophetarum præfigurarint atque promiserint,
Deus autem præstiterit ac miserit illum nobis, ut aliis
porro non sit ullus nobis expectandus. Nec restat
iam aliud, quam ut omnes omnem gloriam Christo
tribuamus, in ipsum credamus, & in ipso solo acquie-
scamus, omnibus alijs uitæ præsidij spretis atque abie-
ctis. Nam gratia Dei exciderunt, & Christum ina- *Galat. 5.*
nem sibi reddunt, quotquot salutem in alia re ulla,
quam in uno Christo querunt.

Et ut paucis multa huius causæ dicamus, quæ-
cunque de incarnationis domini nostri Iesu Christi my-
sterio, definita sunt ex scripturis sanctis, & compre-
hensa symbolis ac sententijs quatuor primarum &
præstantissimarū Synodorum, celebratarum, Niceæ,
Constantinopoli, Ephesi & Chalcedone, unâ cum
beati Athanasij Symbolo, & omnibus his similibus
symbolis, credimus corde sincero, & ore libero in-
genuè profitemur, condemnantes omnia his contra-
ria. Atque ad hunc modum retinemus inuiolatam siue *Secta.*
integralē fidē Christianam, orthodoxam atque catho-
licam: scientes symbolis prædictis nihil contineri,
quod non sit conforme uerbo Dei, & prorsus faciat
ad sinceram fidei explicationem.

Symbola 4.
conciliorum
recepta.

CONFESSIO ET EXPOSITIO

DE LEGE DEI.

XII.

Lege Dei exponitur nobis uoluntas Dei.

Lex naturæ.

Rom. 2.

Lex Mosis in duabus tabu-

Exod. 20.

Deut. 5.



Ocemos Lege Dei, exponi nobis uoluntatem Dei, quid à nobis fieri uelit aut nolit, quid bonum & iustum, quidue malum sit & iniustum. Bonam igitur & sanctam confitemur esse Legem. Et hanc quidem aliás dígito Dei inscriptam esse in corda hominum, uocariq; legem naturæ, aliás Lex Mosis in autem digito insculptam esse, in tabulas Mosis gemindibus tabu- nas, & librís Mosis copiosius expositam. Distingui- mus illam perspicuitatis gratia, in moralem, quæ comprehenditur decalogo uel geminis tabulis, & per Mosis libros expositis, in cæremonialem item, quæ de cæremonijs cultuq; Dei constituit, & in iudicia- lem, quæ uersatur circa politica atq; œconomica.

Plenissima & absolutissima lex.

Deut. 4. 12.

Credimus hac Dei lege omnem Dei uoluntatem, & omnia præcepta necessaria, ad omnem uitæ par- sima est lex. plenissimè tradi. Alioqui enim non uetusset Do minus, huic legi nihil, uel addi, uel adimi: non præces- pisset rectâ ad hanc incedi, neq; in dextram uel sini- stram deflexo itinere, declinare.

Cur data sit lex?

Rom. 3. 4.
Galat. 3.

Docemos legem hanc non datam esse hominibus, ut eius iustificantur obseruatione: sed ut ex eius indi- cio, infirmitatem potius, peccatum, atq; condemnatio nem agnoscamus, & de uiribus nostris desperantes, conuertamur ad Christum in fide. Apertè enim Apo- stolus, Lex ira, ait, operatur. Et per legem agnitio pec- cati. Et si data fuisset lex, quæ posset iustificare, uel uiuiscare, uerè ex lege esset iustitia: sed conclusit scri- ptura (legis nimirum) omnia sub peccatum, ut pro- missio ex fide Iesu, daretur credentibus. Itaq; lex Pa- dagogus noster ad Christum fuit, ut ex fide iustifica- remur.

remur. Nec uero potuit aut potest nulla caro legi Dei ^{Caro non in satisfacere, & hanc adimplere, ob imbecillitatem in plet legem.} carnem nostra, ad extremum usq; spiritum, in nobis ha- rente aut remanente. Rursus enim Apostolus: Quod ^{Rom. 1.} lex prestatre nō poterat, inquit, quia imbecillis erat per carnem, hoc Deus, proprio filio misso sub specie carnis peccato obnoxie, prestitit. Idcirco Christus est per ^{Rom. 10.} effectio legis & adimpletio nostra, qui ut execrationem legis sustulit, dum factus est pro nobis maledictio, uel ^{Galat. 3.} execratio, ita communicat uobis per fidem, adimpletionem suam, nobisq; eius imputatur iustitia & obe- dientia.

Hactenus itaq; abrogata est lex Dei, quatenus nos ^{Quatenus lex abrogata,} amplius non damnat, nec iram in nobis operatur. Su- mus enim sub gratia, & non sub lege. Præterea implevit Christus omnes legis figuram. Vnde umbræ cesse- runt, corpore adueniente, ut iam in Christo & uerita- tem habeamus & omnem plenitudinem. Attamen ^{ta.} legem non ideo fastidientes reiçimus. Meminimus ^{Matth. 5.} enim uerborum Domini, dicentis, Non ueni legem & prophetas soluere, sed implere. Scimus lege nobis tradi formulas uirtutum atq; uitiorum. Scimus scri- pturam legis, si exponatur per euangelium, ecclesia esse utilem, & idcirco eius lectionē non exterminan- dam esse, ex ecclesia. Licit enim uelo obrectus fue- rit Mosis uultus, Apostolus tamen perhibet, uelum per Christum tolli atq; aboleri. Damnamus omnia, ^{Sedē.} quæ hæretici ueteres & neoterici contra legem Dei docuerunt.

DE EVANGELIO IESV CHRISTI,

de Promissionibus item, Spiritu, & Litera.

XII.

CONFESSIO ET EXPOSITIO

Veteres ha-
buerunt pro
missiones
Euangelicas.
Ioan. 1.

Gene. 3.

Gene. 32.

Gene. 49.

Deut. 18.

Acto. 3.

Promissiones
duplices.

Habuerunt
Patres etiam
promissiones
spirituales
non tantum
carnales.

1. Pet. 1.

Rom. 1.

*Euangelium
proprié
quid?*



Vangelium quidem opponitur legi. Nam Lex iram operatur, & maledictionem annunciat. Euangelium uero gratiam & benedictionem praedicat. Sed & Ioannes dicit, Lex per Mosen data est, gratia & ueritas per Iesum Christum exorta est: nihilominus tamen certissimum est eos, qui ante legem & sub lege fuerunt, non omnino destitutos fuisse euangelio. Habuerunt enim promissiones euangelicas insignes, quales haec sunt, Semen mulieris concubabit caput serpentis. In semine tuo benedicetur omnes gentes. Non auferetur sceptrum de Iuda, nisi prius uenerit Silo. Prophetam excitat Dominus de medio fratum, &c.

Et quidem agnoscimus patribus duo fuisse promissionum genera, sicuti & nobis reuelata. Alię enim erant rerum praesentium, uel terrenarum, quales sunt promissiones de terra Chanaan, de uictorijs: & quales hodie adhuc sunt de pane quotidiano. Alię uero erant tunc, & sunt etiam nunc, rerum coelestium & aeternarum, gratiae uidelicet diuinae, remissionis peccatorum, & uitae aeternae, per fidem in Iesum Christum. Habuerunt autem ueteres non tantum externas uel terrenas, sed spirituales etiam coelestesque promissiones, in Christo. Nam de salute, ait Petrus, exquisierunt & scrutati sunt prophetae, qui de uentura in nos gratia uaticinati sunt, &c. Vnde & Paulus Apostolus dixit, Euangelium Dei ante promissum esse per prophetas Dei, in scripturis sanctis. Inde nimurum claret, ueteres non prorsus destitutos fuisse omni Euangelio.

Et quamuis ad hunc modum patres nostri in scripturis prophetarum habuerint Euangelium, per quod & salutem in Christo, per fidem consequuti sunt,

Euan-

Euangelium tamen propriè illud dicitur lætum & felix nuncium, quo nobis primum per Ioannem Baptistem, deinde per ipsum Christum dominum, postea per Apostolos eius apostolorumq; successores prædicatum est mundo, Deum iam præstítisse, quod ab exordio mundi promisit, ac misisse, imò donauisse nobis filium unicum, & in hoc reconciliationem cum patre, remissionem peccatorum, omnem plenitudinem, & uitam æternam. Historia ergo descripta à quatuor Euangelistis, explicans, quomodo hæc sint facta uel adimplēta à Christo, quæ docuerit & fecerit Christus: & quod in ipso credentes omnem habent plenitudinem, rectè nuncupatur Euangelium. Prædicatio item & scriptura Apostolica, qua nobis expoununt Apostoli, quomodo nobis à Patre datus sit filius, & in hoc uita salutisq; omnia, rectè dicitur doctrina euangelica, sic ut ne hodie quidem, si syncera sit, appellationem tam præclaram amittat.

Illa ipsa euangelij prædicatio, nuncupatur item *De spiritu*
ab Apostolo *spiritus & ministerium spiritus*, eò quod *& litera.*
efficax & uiua fiat per fidem in auribus imò cordibus
credentiū per spiritum sanctum illuminantem. Nam
Litera quæ opponitur spiritui, significat quidem om-
nem rem externam, sed maximè doctrinam legis, sine
spiritu & fide in animis, non uiua fide credentiū, ope-
rantem iram, & excitantem peccatum. Quo nomine
& ministerium mortis ab Apostolo nuncupatur. Huc
enim illud Apostoli pertinet, Litera occidit, spiritus
uiuificat. Et pseudoapostoli prædicabāt euangelium,
lege admixta, corruptum, quasi Christus sine lege nō
possit seruare. Quales fuisse dicuntur Hebionei à He-
bione hæretico descendentes, & Nazaræi, qui & Mi-
næi antiquitus uocabātur. Quos omnes nos damna-

CONFESSIO ET EXPOSITIO

mus, pure prædicantes Euangelium, docentesq; per spiritum solum, & non per legem iustificari credentes. De qua re mox sequetur sub titulo iustificationis copiosior expositio.

*Evangeli do
ctrina non
est noua, sed
uetustissima
doctrina.*

a. Tim. 1.

Isaie 5.

Et quamvis Euangeli doctrina collata cum pharisaorum doctrina legis, uisa sit, cum primum prædicta retur per Christum, noua esse doctrina, quod & Iermias de notio testamento uaticinatus sit, reuera tamen illa, non modo uetus erat, & est adhuc (nam noua dicitur & hodie à Papistis, collata cum doctrina iam papistarum recepta) uetus doctrina, sed omnium in mundo antiquissima. Deus enim ab æterno prædestinavit mundum seruare per Christum, & hanc suam prædestinationem & consilium sempiternum aperuit mundo per euangelium. Vnde claret religionem doctrinamq; euangelicam, inter omnes, quotquot fuerunt unquam, sunt atq; erunt, omnium esse antiquissimam. Vnde dicimus omnes eos errare turpiter, & indigna æterno Dei consilio loqui, qui euangelicam doctrinam & religionem, nuncupant nuper exortam, & uix 30. annorum fidem. In quos competit illud Isaiae prophetæ, Væ his qui dicunt malum esse bonum, & bonum malum, qui ponunt tenebras lucem, & lucem tenebras, amarum dulce, & dulce amarum.

DE POENITENTIA ET

conuersione Hominis.

XIII.

Luce 24.

Habet Euangelium coniunctam sibi doctrinam de poenitentia. Ita enim dixit in Euangeliō Dominus, Oportet prædicari in nomine meo poenitentiam & remissionem peccatorum in omnes

Omnis gentes. Per poenitentiam autem intelligi-
mus mentis in homine peccatore resipiscientiam, uerbo euangelij & spiritu sancto excitatam, fidei quidem
acceptam, qua protinus homo peccator, agnatam sibi
corruptionem peccataque omnia sua, per uerbum Dei
accusata, agnoscit, ac de his ex corde dolet, eademque
coram Deo, non tantum deplorat & fatetur ingenuum
cum pudore, sed etiam cum indignatione execratur,
cogitans iam sedulò de emendatione, & perpetuo in-
nocentiae uirtutumque studio, in quo sese omnibus die-
bus uitae reliquis, sanctè exerceat. Et hæc quidem est
uera poenitentia, sincera nimirum ad Deum & omne
bonum conuersio, sedula uero à diabolo & ab omni
malo auersio. Disertè uero dicimus hanc poeniten-
tiam merum esse Dei donum, & non uirium nostra-
rum opus. Iubet enim Apostolus fidelem ministrum
diligenter erudire obſistentes ueritati, si quādo Deus
bis det poenitentiam ad agnoscendum ueritatem. Iam uero peccatrix illa euangelica, quæ lachrymis
rigat pedes domini, ac Petrus amare flens deplo-
rans dominī sui abnegationem, manifestè osten-
dunt, qualis esse debeat poenitentis animus, serio de-
plorans commissa peccata. Sed & filius ille cōcoctor, Confitetur
& publicanus ille in euangelio, cum phariseo colla-
tus, praeuent nobis formulis accommodatissimis pec-
cata nostra Deo confitendi. Ille dicebat, Pater pecca-
ui in cœlum & coram te, iam non sum dignus uocari
filius tuus, fac me sicut unum de mercenarijs tuis; Hic
uerò non audens eleuare oculos in cœlum, pectus
sum tundendo, clamabat, Deus propitius esto mihi
peccatori. Nec dubitamus illos in gratiam à Deo esse
receptos. Etenim Ioannes Apostolus, Si confitea-
mur peccata nostra, inquit, fidelis est, & iustus, ut re-

Poenitentia
est uera ad
Deum con-
uersio.
Poenitentia
donum Dei.

1. Timoth. 2.
2. Dolet de pec-
catis commis-
sis.
3. Luce 7. 22.
4. Luc. 15. 18.

1. Ioan. 1.

CONFESSIO ET EXPOSITIO

mittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni
iniquitate. Si dixerimus non peccauimus, menda-
cem facimus eum, & sermo eius non est in nobis.

Sacerdotalis
confessio &
absolutio.

Psalmt. 32.

Matth. 6.

Heobis. 5.

De clauibus
regni celorum:

Creditus autem hanc confessionem ingenuam,
quæ soli Deo fit, uel priuatim inter Deum & pecca-
torem, uel palam in templo, ubi generalis illa peccato-
rum confessio recitat, sufficere, nec necessarium
esse ad remissionem peccatorum consequendam, ut quis
peccata sua confiteatur sacerdoti, susurrando in aures
ipsius, ut uicissim cum impositione manuum eius au-
diat ab ipso absolutionem: quod eius rei nec præceptum
ullum, nec exemplum extet in scripturis sanctis. Da-
uid protestatur & ait, Delictum meum cognitum tibi
feci, & iniustitiam meam non abscondi. Dixi, confite-
bor contra me iniustitiam meam domino: & tu remi-
sisti impietatem peccati mei. Sed & dominus orare
nos docens, simul & confiteri peccata, dixit, Sic ora-
bitis, Pater noster qui es in cœlis, remitte nobis debita
nostra: sicut & nos remittimus debitoribus nostris.
Necesse est ergo, ut Deo patrino stro confitemur pec-
cata nostra, & cum proximo nostro, si ipsum offendis-
mus, redeamus in gratiam. De quo confessionis ge-
nere loquens Iacobus Apostolus, Confitemini, in-
quit, alterutrum peccata uestra. Si quis uero peccato-
rum mole & temptationibus perplexus, uelit
consilium, institutionem & consolationem priuatim,
uel à ministro ecclesiae, aut alio aliquo fratre, in lege
Dei docto, petere, nō improbamus. Quemadmodum
& generalem & publicam illam in templo ac cœtibus
sacris recitari solitam (cuius & superius meminimus)
peccatorum confessionem, utpote scripturis. con-
gruam, maximè approbamus.

De Clauibus regni Dei, traditis à Domino Aposto-
lio

His, multi admirāda garriūt, & ex his eudūt enses, lan-
 ceas, sceptrā & coronas, plenamq; in maxima regna,
 denique in animas & corpora potestatem: nos simpli-
 citer iudicantes secundum uerbum Domini, dicimus
 omnes ministros legitime uocatos, habere & exerce-
 re claves uel usum clauitum, cum euangelium annun-
 ciant, id est populum suæ fidei creditum docent, hor-
 tantur, consolantur & increpat, inq; disciplina reti-
 nent. Ita enim regnum cœlorum aperiumt obsequen- Aperire &
 tibus, & inobsequentibus claudunt. Has claves pro- claudere.
 misit Apostolis Dominus, Matth. 16. & præsttit Ioh. 20. Marci 16. & Luc. 24. dum ablegat discipulos, & iu-
 bet eos uniuerso mundo prædicare Euangelium, &
 condonare peccata. Apostolis in epist. ad Cor. dicit, 2. Cor. 5.
 Dominū ministris dedisse recōciliationis ministeriū: Reconilia-
 & quale hoc sit, mox explicat & ait, Sermonem uel do- tionis mini-
 cfrinā reconciliatiōnis. Et adhuc clarius sua illa expo- sterium.
 nens, addit ministros Christi, nomine Christi fungi
 legatione, tanquam ipso Deo, per ministros adhor-
 tante populos, ut reconcilientur Deo, nimirum per fi-
 delem obedientiam. Exercent ergo claves, cum sua-
 dent fidem & poenitentiam. Sic illi reconciliant Deo: Ministri re-
 Sic remittunt peccata, Sic aperiūt regnum cœlorum, mittunt pec-
 & credentes introducunt: multum distantes ab istis, cata.
 de quibus dixit in euangilio Dominus, Væ uobis le-
 gisperitis, quia tulistis clauem scientiæ, ipsi non intro-
 iūtis, & eos qui introibant uetusistis. Rite itaque & ef- Quomodo
 fice citer ministri absoluunt, dum euangelium Chri- ministri ab-
 sti, & in hoc remissionem peccatorum, quæ singulis soluant.
 promittitur fidelibus, sicuti & singulis sunt baptizati,
 prædicant, & ad singulos peculiariter pertinere te-
 stantur. Nec putamus absolutionem hanc efficaciorē
 fieri, per hoc, quod in aurem alicui aut super caput

CONFESSIO ET EXPOSITIO

aliciūs singulariter immurmatur. Censemus tamē sedulo annunciatam esse hominibus remissionem peccatorum, in sanguine Christi, admonendosq; singulos, quod ad ipsos pertineat remissio peccatorum.

Sedulitas in
innovatione
uite.

Ioan. 5.
4.

Ioan. 8.

Luc. 19.

Rom. 6.

Errores.

Cæterum quām uigilantes sedulosq; oporteat esse pœnitentes in studio uitæ nouæ, & in conficiendo ueterē & excitando nouo homine, docent nos exempla euāgelica. Dominus enim ad paralyticum, quem sanauerat, dicit, Ecce sanus factus es, ne posthac pecces, ne quid deterius tibi contingat. Ad adulteram liberatam idem dixit, Vade, & ne posthac peccaueris. Quibus sanè uerbis non significauit fieri posse, ut homo aliquando non peccet, dum adhuc in hac carne uiuit, sed uigilantiam accuratumq; studium commendat, ut modis inquam omnibus annitamur, & precibus à Deo petamus, ne relabamur in peccata, ex quibus ueluti resurreximus; & ne uincamur à carne, mūdo, & diabolo. Zachæus publicanus in gratiam recepitus à Domino, clamat in euangelio, Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & si quē defraudaui, reddo quadruplum. Ad eundem ergo modum prædicamus restitucionem & misericordiam, adeoq; eleemosynam, uerē pœnitentibus esse necessariā; et in uniuersum Apostoli uerbis hortamur omnes ac dicimus, Ne regnet peccatum in mortali uestro corpore, ut obediatis ei per cupiditates eius; neque accomodetis membra uestra arma iniustitiae peccato, sed accomodetis uosmetipſos Deo, uelut ex mortuis uiuentes, & membra uestra arma iustitiae Deo.

Proinde damnamus omnes impias quorundam euāgelica prædicatione abuentiū uoces, & dicentiū, Facilis est ad Deum reditus, Christus expiavit omnia peccata. Facilis est peccatorum condonatio, Quid ergo pec-

go peccare nocebit? Nec magnopere curanda est pot
nitentia, &c. Docemus interim semper, & omnibus
peccatoribus aditum patere ad Deum, & hunc om-
nia, omnibus fidelibus condonare peccata, excepto
uno illo peccato, in spiritum sanctum. Ideoque damna-
mus & ueteres & nouos Nouatianos, atque Catharos.
Damnamus imprimit lucrosam papae de pœnitentia
doctrinam, & contra Simoniam eius, Simoniacasque
eius indulgentias, illud usurpamus Simonis Petri ius Indulgentia-
dicum, Pecunia tua tecum sit in perditionem: quo= papales.
niam donum Dei existimasti parari pecunijs. Non est
tibi pars neque sors in ratione hac. Cor enim tuum nō
est rectum coram Deo. Improbamus item illos, qui Satisfactio-
nibus satisfactionibus existimant se pro commissis satis-
facere peccatis. Nam docemus Christum unum, mor-
te uel passione sua, esse omnium peccatorum satisfa-
ctionem, propitiationem uel expiationem; interim ta-
men, quod & ante diximus, mortificationem carnis Isa. 53:
urgere non desinimus; addimus tamen hanc non ob-
trudendam esse Deo superbè pro peccatorum satisfa-
ctione, sed præstandam humiliter, pro ingenio filio-
rum Dei, ut obedientiam nouam, gratitudinis ergò;
pro consequita, per mortem & satisfactionem filij
Dei, liberatione, & plenaria satisfactione.

Marc. 3.
Sexta.

Acto. 8.

Isa. 53:

1. Cor. 1.

DE VERA FIDELIVM

iustificatione.

XV.

Iustificare significat Apostolo in disputatio-
ne de Iustificatione, peccata remittere, à cul-
pa & poena absoluere, in gratiam recipere, &

Iustificare
quid s.

C O N F E S S I O E T E X P O S I T I O

- Rome. 8.** iustum pronunciare. Etenim ad Roma, dicit Apostolus, Deus est qui iustificat, quis ille qui condemnnet? Opponuntur iustificare & condemnare. Et in Actis Apostol, dicit Apostolus, Per Christum annunciatum nobis remissio peccatorum: & ab omnibus, a quibus non potuisti per legem Mosis iustificari, per hunc, omnis qui credit, iustificatur. Nam in lege quoque & prophetis legimus, Si lis fuerit orta inter aliquos, & uenerint ad iudicium, iudicent eos iudices, iustificantem iustum, & impientem condemnant impium. Et Isaiae 5. Vx illis qui iustificant impium promuneribus. Certissimum est autem omnes nos esse natura propter Christi peccatores & impios, ac coram tribunali Dei conuictos impietatis & reos mortis: iustificari autem, id est, absoluiri a peccatis & morte, a iudice Deo, solius Christi gratia, & nullo nostro merito aut respectu. Quid enim apertius, quam quod Paulus dixit? Omnes peccauerunt, & destituuntur gloria Dei. Iustificantur autem gratis, per illius gratiam, per redemptions, quae est in Christo Iesu.
- Imputativa iustitia.** Etenim Christus peccata mundi in se recepit & sustulit, diuinaque iustitiae satisfecit. Deus ergo propter solum Christum passum & resuscitatum, proprius est peccatis nostris, nec illa nobis imputat, imputat autem iustitiam Christi pro nostra: ita ut iam simus non solum mundati a peccatis & purgati, uel sancti, sed etiam donati iustitia Christi, adeoque absoluti a peccatis, morte uel condemnatione, iusti denique ac haeresis uitae eternae. Propriè ergo loquendo, Deus solus nos iustificat, & duntaxat propter Christum iustificat, non imputans nobis peccata, sed imputans eius nobis iustitiam.
- 2. Cor. 5.**
- Roma. 4.**
- Iustificamus per solam fidem.** Quoniam uero nos iustificationem hanc recipimus,

mus, non per ulla opera, sed per fidem in Dei miseri-
 cordiam & Christū, ideo docemus & credimus cum
 Apostolo, hominem peccatorem iustificari sola fide
 in Christum, non lege, aut ulla operibus. Dicit enim
 Apostolus, Arbitramur fide iustificari hominem abs- Roma. 3.
 que operibus legis. Item, Si Abraham ex operibus iu Rom. 4.
 stificatus fuit, habet quod glorietur, sed non apud
 Deum. Quid enim scriptura dicit? Credidit Abrahā Gen. 15.
 Deo, & imputatum est ei ad iustitiam. At ei qui non
 operatur, sed credit in eum qui iustificat impium, im-
 putatur fides sua ad iustitiam. Et iterum, Gratia estis Ephes. 2.
 seruati per fidem, idq; non ex uobis, Dei donum est.
 Non ex operibus, ne quis glorietur, &c. Ergo quia fi-
 des Christum iustitiam nostram recipit, & gratiæ Dei
 in Christo omnia tribuit, ideo fidei tribuitur iustifica-
 tio, maximè propter Christum, & non ideo, quia no-
 strum opus est. Donū enim Dei est. Cæterū nos Chri-
 stum fidere recipere multis ostendit Dominus, apud Io Fide nos reci-
an. in cap. 6. ubi pro credere ponit manducare, & pere*Christū*.
 pro manducare, credere. Nam sicut manducando, ci-
 bum recipimus, ita credendo participamus Christo.
 Itaque iustificationis beneficium non partimur, par- Iustificatio
 tim gratiæ Dei, uel Christo, partim nobis, aut dilectio- nō tribuitur,
 ni operib;ue, uel merito nostro, sed insolidum gratiæ partim Chri-
 Dei in Christo per fidē tribuimus. Sed & non possent sto uel fidei,
 Deo placere dilectio & opera nostra, si fierent ab iniu- partim nobis
 stis: proinde oportet nos prius iustos esse, quā dilig-
 amus aut faciamus opera iusta. Iusti uere efficiuntur,
 quemadmodū diximus, per fidē in Christū, mera gra-
 tia Dei, qui peccata nobis non imputat, sed iustitiam
 Christi, adeoq; fidem in Christum ad iustitiam nobis
 imputat. Apostolus præterea apertissimè dilectionē 1. Tim. 1.
 deriuat ex fide, dicens, Finis præcepti est charitas, ex

CONFESSIO ET EXPOSITIO

puro corde; conscientia bona, & fide non ficta.

Confertur Ia: Quapropter loquimur in hac causa, non de ficta fide, de inani & ociosa, aut mortua, sed de fide uiua, ut uiscantem p̄p, quae propter Christum, qui uita est & uiuificat, quem comprehendit, uiua est & dicitur, ac se uiuam esse uiuis declarat operibus. Nihil itaque contra hanc nostram doctrinam pugnat Jacobus ille, qui de fide loquitur inani & mortua, quam quidam iactabant, Christum autem intra se uiuentem per fidem nō habebant. Idem ille dixit, opera iustificare, non contradicens Apostolo (rejiciendus alioqui) sed ostendens Abrahamum uiuam iustificatēm p̄ fidem suam declarauisse, per opera. Id quod omnes p̄ij faciunt, qui tamē soli Christo, nullis suis operibus fidunt. Iterum enim Apostolus dixit, Vīuo iam non ego, sed uiuit in me Christus. Vītam autem quam nunc uiuo in carne, per fidem uiuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Non aspernor gratiam Dei. Nam si per legem est iustitia; igitur Christus frustra mortuus est, &c.

Galat. 2.

DE FIDE, ET BONIS OPERIBVS,
corumque mercede, & merito hominis.

XVI.

Fides quid?

Eides enim Christiana, non est opinio ac humana persuasio, sed firmissima fiducia & evidens ac constans animi assensus, denique certissima comprehensio ueritatis Dei, proposita in scripturis, & symbolo Apostolico, atque adeo Dei ipsius summi boni, & præcipue promissionis diuinæ, & Christi, qui omnium promissionum est colophon.

Hæc

Hæc autem fides, merum est Dei donum, quod solus Deus ex gratia sua, electis suis, secundū mensuram, & quando, cui, & quantum ipse uult, donat, & quidem per spiritum sanctum, mediante prædicatione euangeli, & oratione fideli. Hæc etiam sua habet incrementa: quæ nisi & ipsa darentur à Deo, non dixi= fidei. sent Apostoli, Domine adauge nobis fidem. Luc. 11.

Et hæc quidem omnia, quæ hactenus de fide diximus, ante nos ita docuerunt Apostoli. Paulus enim, Est autem fides, inquit, eorum quæ sperantur, ὑπόστασις, uel subsistentia firma, & earum rerum quæ non uidentur, ἀεγχθ, id est, euīdes et certa rei cōprehensio. Et idem iterum, Quotquot sunt promissiones Dei, inquit, per Christum sunt etiam & per ipsum Amen. Ad Philipp. idem ait donatum esse ipsis, ut credant in Christum. Item, Deus unicuique partitus est mensuram fidei. Rursus, Non omnium est fides ait, neque obediunt omnes euangeli. Sed & Lucas testatur & ait, Et crediderunt quotquot erāt ordinati ad uitam. Vnde idem iterum fidem nuncupat, fidem electorū Dei. Et iterum, Fides est exauditu, auditus autem per uerbum Dei. Alibi sāpe iubet orare pro fide.

Idem ille Apostolus fidem uocat efficacem, & se exerentem per dilectionem. Illa conscientiam quoq; pacificat, & liberum ad Deum aditum aperit, ut cum fiducia ad ipsum accedamus, & obtineamus ab eo utilia & necessaria. Eadem retinet nos in officio, quod Deo debemus & proximo, & in aduersis patientiam firmat, & confessionem ueram format atque facit, & ut uno uerbo omnia dicam, omnis generis bonos fructus, & bona opera progignit.

Docemus enim uerē bona opera enasci ex uisa fide, per spiritum sanctum, & à fidelibus fieri secundū De bonis operibus.

CONFESSIO ET EXPOSITIO

- 2. Pet. 1.** uoluntatem uel regulā uerbi Dei. Nam Petrus Apostolus, Omni adhibito studio, inquit, subministrate in fide uestra uirtutem, in uirtute uero scientiam, in scientia uero temperantiam, &c. Diximus autem ante legem Dei, quæ uoluntas Dei est, formulam nobis præscribere bonorum operum. Et Apostolus ait, Hęc est uoluntas Dei sanctificatio uestra, ut abstineatis ab immunditia, & ne quis opprimat aut fraudet in negotio fratrem suum. Etenim non probantur Deo opera, & nostro arbitrio delecti cultus, quos Paulus nuncupat ἐθελθητικάς. De quibus & Dominus in euangelio, Frustra me colunt, ait, docentes doctrinas, præcepta hominum. Improbamus ergo huiusmodi opera: approbamus & urgemos illa, quæ sunt ex uoluntate & mandato Dei. Illa ipsa fieri debent, non ut his proximeamur uitam æternam. Donū Dei enim est, ut Apostolus ait, uita æterna, neque ad ostentationem, quam reiecit Dominus Matth. 6. neque ad questum, quem & ipsum reiecit, Matth. 23. sed ad gloriam Dei, ad ornandam uocationem nostram, gratitudinemq; Deo præstandam, & ad utilitatem proximi. Rursus enim Dominus noster in euangelio dicit, Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra bona opera, & glorificant patrem qui in cœlis est. Sed & Apostolus Paulus, Ambulate dignè uocatione uestra. Itē, Quicquid egeritis, inquit, aut sermone, aut facto, omnia in nomine Iesu facite, gratias agentes Deo & patri per illum. Idem, Nemo quod suum est querat, sed quisque quod alterius. Et, Discant & nostri bona opera tueri ad necessarios usus, ut non sint infugiferi.
- Bona opera non reiecta.** Quamuis ergo doceamus cum Apostolo hominem gratis iustificari per fidem in Christum, & non per
- Opera electitia humana.**
- Colef. 2.**
- Matth. 15.**
- Finis honorū operum.**
- Matth. 5.**
- Ephes. 4.**
- Colos. 3.**
- Philip. 4.**
- Tit. 3.**

per nulla opera bona, non ideo tamen vilipendimus aut condemnamus opera bona. Cum sciamus hominem nec conditum nec regenitum esse per fidem, ut occietur, sed potius, ut inde sinenter quæ bona & utilia sunt faciat. Etenim in euangelio dicit Dominus, Bona arbor bonum fructum ad fert. Et iterum, Qui in me manet, plurimum fructum ad fert. Denique Apostolus, Dei sumus creatura, ait, conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparauit Deus, ut in eis ambulemus. Et iterum, Qui tradidit semet ipsum pro nobis, ut redimeret ab omni iniuitate, & mundaret sibi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum. Damnamus itaque omnes qui bona opera contemnunt, non curanda & inutilia esse blaterant. Interim, quod & antea dictum est, non sentimus per opera bona nos seruari, illaque ad salutem ita esse necessaria, ut absque illis nemo unquam sit seruatus. Gratia enim solius Christi beneficio seruamur. Opera necessariò ex fide progignitur. Ac impropriè his salus attribuitur: quæ propriissimè ascribitur gratiæ. Notissima enim est illa Apostoli sententia, Si per gratiam, iam non ex operibus: quandoquidem gratia, iam non est gratia. Sin ex operibus, iam non ex gratia: quandoquidem iam opus, non est opus.

*Matth. 12.
Ioan. 15.*

*Ephes. 2.
Titum. 2.*

*Non serua-
mur per bos-
na opera.*

Rom. 11.

Placent uero approbanturque à Deo opera, quæ opera bona à nobis fiunt, per fidem. Quia illi placent Deo, propter fidem in Christum, qui faciunt opera bona, quæ insuper per spiritum sanctum ex gratia Dei sunt facta. S. Petrus enim, In qua uis gente, inquit, qui timet ipsum & operatur iustitiam, is acceptus est illi. Et Paulus, Non desinimus orare pro uobis, ut ambuletis dignè domino, ut per omnia placeatis, in omni opere bono fructificantes. Itaque ueras non falsas, aut philo-

Acto. 10.

Coloss. 1.

CONFESSIO ET EXPOSITIO

Veras non falsas & phi-losophicas virtutes do-cessus. sophicas uirtutes, uerè bona opera, & genuina Chrlstiani hominis officia, sedulò docemus, & quanta possumus diligentia uehementiaq; omnibus inculcamus, uituperantes omnium illorum & desidiam & hypocrisim, qui ore Euangelium laudant & profitentur, uita autem turpi dedecorant, proponentes hac in causa, horribiles Dei minas, amplas deniq; promissiones Dei, & liberalia præmia, exhortando, consolando, & obiurgando.

Deus retrahit operibus nostris mercedem.
Ierem 31.
Isiae 4.
Matth. 5, 10.

Isiae 64.

Luce 17.

**Merita ho-
minum nulla**

Etenim docemus Deum bona operantibus, amplam dare mercedem, iuxta illam prophetæ sententiam, Cohibe uocem tuam à fletu: quoniam erit merces operi tuo. In Euangelio quoq; dixit Dominus, Gaudete & exultate, quia merces uestra multa est in cœlis. Et qui dederit uni ex minimis meis poculum aquæ frigidæ, amen dico uobis, non perdet mercedem suam. Referimus tamen mercedem hanc, quam dominus dat, non ad meritum hominis accipientis, sed ad bonitatem, uel liberalitatem, & ueritatem Dei promittentis atq; dantis, qui cum nihil debeat cuiquam, promisit tamen se suis cultoribus fidelibus mercedem daturum: qui interim dat eis etiā, ut ipsum colant. Sunt multa præterea indigna Deo, & imperfecta plurima inueniuntur in operibus etiam sanctorum: quia uero Deus recipit in gratiam, & complectitur propter Christum operantes, mercedem eis promissam persoluit. Alioqui enim iustitiae nostræ comparatur panno menstruatæ. Sed & Dominus dicit in Euangelio, Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt uobis, dicite, serui inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.

Tametsi ergo doceamus mercedem dari à Deo minum nulla nostris benefactis, simul tamen docemus, cum Au-gustino,

gustino, coronare Deum in nobis, non merita nostra, sed dona sua. Et proinde quicquid accipimus mercedis, dicimus gratiam quoque esse, & magis quicquidem gratiam quam mercedem: quod quae bona facimus, per Deum magis, quam per nos ipsos facimus: & quod Paulus dicat, Quid habes quod non accepisti? ^{1. Cor. 4.} Si uero accepisti quid gloriaris, quasi non acceperis: Et quod hinc collegit beatus martyr Cyprianus, In nullo nobis gloriandum esse, quando nostrum nihil sit. Damnamus ergo illos, qui merita hominum sic defendunt, ut euacuent gratiam Dei.

DE CATHOLICA ET SANCTA

Dei Ecclesia, & unico capite Ecclesiae.

XVII.

Vando autem Deus ab initio saluos uoluit fieri homines, & ad agnitionem ueritatis uenire, oportet omnino semper fuisse, nunc esse, & ad finem usque seculi futuram esse Ecclesiam, id est, ē mundo euocatum uel collectum cætum fidei Ecclesiam, sanctorum inquam omnium cōmunionem, eo quidē rum uidelicet, qui Deum uerum, in Christo seruatore, per uerbum & spiritum sanctum, uerè cognoscunt, & rite colunt, denique omnibus bonis per Christum gratitudo oblatis fide participant. Sunt isti omnes unius ciuitatis ciues, uiuentes sub eodem domino, sub iisdem legibus, in eadem omnium bonorum participatione. Sic enim hos conciues sanctorum & domesticos Dei appellauit Apostolus: Sanctos appellas fideles in terris, sanguine filij Dei sanctificatos. De quibus omnino intelligendus est, Symboli articulus, Credo sancta ecclesiam catholicam, sanctorum communionem.

Semper fuit
ecclesia et
erit semper.

Ecclesia
quidē

Ciues unius
ciuitatis.

Ephes. 2.

1. Cor. 6.

CONFESSIO ET EXPOSITIO

Vna duncta-
xat omnium
temporum
ecclesia.

Catholica ec-
clesia.

Partes uel
species eccl
sie.

Militans &
Triumphans

Particularis.

Duo populi.

Et cum semper unus modò sit Deus , unus media-
tor Dei & hominum Iesus Messias , unus item gregis
uniuersi pastor, unum huius corporis caput, unus de-
nig spiritus, una salus , una fides, unum testamentum
uel foedus , necessariò consequitur unam duntaxat
esse Ecclesiam: quam propterea catholicam nuncupa-
mus, quod sit uniuersalis , & diffundatur per omnes
mundi partes, & ad omnia se tempora extendat, nul-
lis uel locis inclusa uel temporibus. Damnamus ergo
Donatistas , qui ecclesiam in nescio quos Aphricæ
coartabant angulos. Nec Romanensem approbamus
clerum , qui solam propè Romanam Ecclesiam uen-
diant pro catholica.

Diducitur quidem ecclesia in partes uel species
uarias, non quod diuisa aut diuulsa sit in semetipsam,
sed magis propter membrorum in ipsa diuersitatem
distincta. Aliam enim faciunt Ecclesiam militantem,
aliam uero triumphantem. Militat illa adhuc in terris,
& certat cum carne, cum mundo, & principe mundi
huius diabolo, cum peccato atq; morte. Hæc uero ru-
de iam donata , in coelo triumphat , de istis deuictis
omnibus, & exultat coram Domino: nihilominus ha-
bent illæ inter se se communionem , uel coniunctio-
nem.

Et militans in terris ecclesia semper plurimas ha-
buit particulares ecclesias, quæ tamen omnes ad uni-
tatem catholicæ ecclesiæ referuntur. Hæc aliter fuit
instituta ante legem inter patriarchas, aliter sub Mose
per legem , aliter à Christo per Euangelium. Vulgo
numerantur ferè duo populi, Israelitarum uidelicet
& gentium, uel eorum qui ex Iudæis & gentibus col-
lecti sunt in ecclesiam, testamenta item duo , uetus &
nouum. Omnia tamen horum populorum una fuit
& est

& est societas, una salus in uno Messia, in quo ceu
membra unius corporis sub unum caput conne- Eadem eccl
sia ueteris
& noui po-
puli.
ctuntur omnes, in eadem fide, etiam de eodem cibo
& potu spirituali participantes. Agnoscimus hic ta-
men diuersa fuisse tempora, diuersa symbola, promis-
si & exhibiti Messiae, sublatissimis ceremonialibus, lu-
cem nobis illustriorem lucere, & dona auctiora dona
ri, & libertatem esse plenioram.

Hæc ecclesia Dei sancta, vocatur domus Dei ui- Ecclesia do-
uentis, exstructa ex lapidibus uiuis & spiritualibus, & mus Dei ui-
imposita super petram immotam, super fundamen- uentis.
tum, quo aliud collocari non potest: & ideo nuncu-
patur etiam columna & basis ueritatis. Non errat illa, 1. Tim. 3.
quandiu in uititur petræ Christo & fundamento pro-
phetarum & Apostolorum. Nec mirum si erret, quo- Ecclesia non
ties deserit illum, qui solus est ueritas. Vocatur eccl
sa etiam uirgo ac sponsa Christi, & quidem unica & errat.
dilecta. Apostolus enim, Adiūxi uos, inquit, uni uiro, Ecclesia spon
sa et virgo.
ut uirginem castam exhiberetis Christo. Vocatur eccl 2. Cor. 11.
lesia grex ouium sub uno pastore Christo, idq[ue] apud Ecclesiagrex
ouium.
Ezech. in cap. 34. & apud Ioannem in cap. 10. Voca- Ecclesiagre-
cor-
tur item corpus Christi, quia fideles sunt uiua Christi P[ro]pterea.
membra, sub capite Christo.

Caput est quod in corpore eminentiam habet, Ecclesia ca-
put Christus
solus.
& unde corpus uitam haurit, cuius spiritu regitur in omnibus, unde & incrementa & ut crescat habet.
Vnicum item est corporis caput, & cum corpore ha-
bet congruentiam. Ergo ecclesia non potest ullum aliud habere caput quam Christum. Nam ut ecclesia corpus est spirituale, ita caput habeat, sibi congruens spirituale utiq[ue] oportet. Nec alio potest regi spiritu, quam Christi. Paulus quoq[ue], Ipse est caput, inquit, cor Coloss. 1.
poris ecclesie, qui est principium, primogenitus ex

CONFESSIO ET EXPOSITIO

Ephes. 5.

Ephes. 1.

Ephes. 4.

Christus unus
Ecclesie
pastor.

Vicarius.

Primatus in
ecclesia
nullus.

Nulla in Ec-
clesia auctorita-

mortuis, ut sit ipse in omnibus, primas tenens. Et idem iterum, Christus est, inquit, caput ecclesiæ, qui idem salutem dat corpori. Et rursus, Qui est caput Ecclesiæ, ait, quæ corpus illius, complementum eius, qui omnia in omnibus adimpleat. Item, Adolescamus in illum per omnia, qui est caput nempe Christus; in quo totum corpus si compingatur, incrementum capit. Non probamus ergo doctrinam Cleri Romani, facientis suum illum Rom. Pont. catholicae in terris ecclesiæ militantis, pastorem uniuersalem, & caput summum, adeoque uerum Christi uicarium, qui habeat in ecclesia plenitudinem, ut uocant, potestatis, & dominium supremum. Docemus enim Christum Dominum esse, & manere unicum pastorem uniuersalem, summum item Pontificem coram Deo patre, ac in ecclesia ipsum omnia pontificis uel pastoris obire munia, ad finem usque seculi, ideoque nullo indigere uicario, qui absentis est. Christus uero præsens est ecclesiæ, & caput uiuificum. Hic Apostolis suis apostolorumque successoribus primatum & dominium in ecclesia severissime prohibuit. Quicunque ergo huic illustri ueritati contradicentes reluctantur, & in Ecclesiam Christi, diuersam inducunt gubernationem, quis non uideat eos illis potius esse accensendos, de quibus Apostoli Christi uaticinatur, Petrus. 2. Pet. 2. et Paulus Act. 20. 2. Cor. 11. & 2. Thess. 2. & alijs quoque in locis?

Sublato autem capite Romano, nullam inducimus in Ecclesiam Christi ἀταξίαν, uel perturbationem: cum doceamus gubernationem ecclesiæ, ab Apostolis traditam, nobis sufficere ad retinendam in iusto ordine Ecclesiam, quæ ab initio, dum huismodi capite Romano, quale hodie dicitur Ecclesiam conseruare in ordine, caruit, atactica uel inordinata non fuit. Seruat qui dem

dem caput Romanum tyrannidē suam, & corrupte-
lam inductam in Ecclesiam; sed impedit interim, op-
pugnat, & quantis potest uiribus excindit iustam Ec-
clesiæ reformationem.

Obijcitur nobis uaria esse in ecclesijs nostris certa-
mīna atq; dissidia, posteaquā se à Romana separarunt
Ecclesia, proinde non esse eas ecclesiās ueras. Quasi
uerò nullę unquam fuerint in ecclesia Romana sectę,
nulla unquam dissidia atq; certamina, & quidem de
religione, nō tam in scholis, quām in cathedralis sacris,
in medio populi instituta. Agnoscimus sanè dixisse
apostolum, Deus non est Deus dissensionis, sed pacis.
Et, Cum sit in uobis æmulatio & cōtentio, an non car-
nales estis? negari tamen non potest, Deum fuisse in
Ecclesia apostolica, & apostolicam Ecclesiam fuisse
Ecclesiā ueram, in qua tamen fuerunt concertationes
& dissidia. Reprehēdit enim Petrum Apostolū, Apo-
stolus Paulus, ab hoc dissidet Barnabas. Certamē gra-
ue exoritur in Ecclesia Antiochena, inter eos, qui u-
num Christum prædicabant: sicut cōmemorat Lucas
in Actis Apostolicis cap. 15. Grauiā semper fuerunt in
ecclesia certamina, & dissenserunt inter se, de rebus
non leui bus, doctores ecclesię præclarissimi, ut ex his
contentionibus interim ecclesia non id esse desineret,
quod erat. Ita enim placet Deo, dissidijs ecclesiasticis
uti, ad gloriam nominis sui, ad illustrandam deniq;
ueritatem, & ut qui probati sunt, manifesti fiant.

Cæterum ut non agnoscimus aliud caput Ecclesiæ De notis uel
quām Christum, ita nō agnoscimus quamlibet eccl= signis uerae
siām, quā se uenditat pro uera, ueram esse ecclesiam; Ecclesiæ.
sed illam docemus ueram esse ecclesiam, in qua signa
uel notæ inueniuntur ecclesiæ uerae, imprimitis uerò
uerbi Dei legitima uel syncera prædicatio, prout

C O N F E S S I O E T E X P O S I T I O

nobis est tradita in libris prophetarum & Apostolorum, qui omnes ad Christum deducunt: qui in euangelio dixit, Oves meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego uitam æternam do eis. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non nouerunt uocem alienorum. Et qui tales sunt in ecclesia, hi unam habent fidem, unum spiritum, & idcirco unum solum Deum adorant, solum hunc in spiritu & ueritate colunt, hunc ex toto corde, & omnibus uiribus solum diligunt, solum per Christum mediatorem & intercessorem unicum invocant, extra Christum fidemq; in ipsum, nullam querunt iustitiam & uitam: Quia Christum solum caput & fundamentum ecclesiæ agnoscunt, ac super hoc impositi quotidie se pœnitentia reparant, patientia impositam ipsis crucem ferunt, sed & charitate non facta, cum omnibus Christi membris connexi, hac se declarant discipulos esse Christi, perseverando in vinculo pacis atq; unitatis sanctæ: Simil & participant sacramentis à Christo institutis, & ab Apostolis traditis: neq; his aliter utuntur, quam uti acceperunt à Domino. Notum est enim omnibus illud Apostoli, Ego enim accepi à domino, quod & tradidi uobis. Proinde damnamus illas ecclesias, ut alienas à uera Christi ecclesia, quæ tales non sunt, quales esse debere audiuiimus, utcunq; interim iactet successionem Episcoporum, Unitatem, & Antiquitatem. Quinimò præcipiunt nobis Apostoli, ut fugiamus idolatriam & Babylonem, & ne participemus cum hac, nisi & plagarum Dei participes esse uelimus.

2. Cor. 10.

1. Joan. 5.

Apoc. 18.

2. Cor. 6.

Extra ecclesiæ Dein la salut.

Communionem uero cum ecclesia Christi uera, tanti facimus, ut negemus eos coram Deo uiuere posse, qui cum uera Dei ecclesia non communicant, sed ab ea

ab ea se separant. Nam ut extra arcam Noë, non erat
ulla salus, peregrine mundo in diluvio, ita credimus ex-
tra Christum, qui se electis in ecclesia fruendum præ-
bet, nullam esse salutem certam; & proinde docemus
uiuere uolentes non oportere separari à uera Christi
ecclesia.

Signis tamen commemoratis, non ita arcte inclu-
dimus ecclesiam, ut omnes illos extra ecclesiam esse Ecclesia non
doceamus, qui uel sacramentis non participant, non
quidem uolentes, neq; per contemptum, sed necessi-
tate potius ineuitabili coacti, nolentes ab ijs abstine-
ant, aut ijs careant: uel in quibus aliquando deficit fi-
des, non tamen penitus extinguitur aut prorsus desि-
nit; uel in quibus infirmitatis uitia atq; errores inue-
niuntur. Scimus enim Deum aliquot habuisse in mu-
ndo amicos, extra Israelis rempublicam. Scimus quid
populo Dei euenerit in captiuitate Babylonica, in
qua sacrificijs suis cartuerunt annis septuaginta. Sci-
mus quid euenerit S. Petro negatori, & quid quotidie
euenire soleat electis Deifidelibus errantibus & infir-
mis. Scimus præterea, qualis apostolorum temporis
bus fuerint Galatarum & Corinthiorum ecclesiæ, in
quibus multa & grauia accusat Apostolus scelera, &
tamen nuncupat easdē sanctas Christi ecclesiæ. Quin
imò fit aliquando, ut Deus iusto iudicio ueritatē uer-
bi sui, fidemq; catholicam, & cultum Dei legitimum Ecclesia ali-
sic obscurari & conuelli sinat, ut propè uideatur ex- quando uides
tincta, & nulla amplius superesse ecclesia: sicuti fa- tur extincta.
ctum uidemus Heliæ, & alijs temporibus. Interim ha
bet Deus in hoc mundo, & in hisce tenebris suos illos 3. Reg. 19.
ueros adoratores, nec paucos, sed septem millia ac Apoc. 7.
plures. Nam & Apostolus clamat, Solidum fundamē
tum Dei stat, habens signaculum hoc, Nouit Domi- 2. Tim. 2.

C O N F E S S I O E T E X P O S I T I O

nus qui sint sui &c. Vnde & ecclesia inuisibilis appellari potest, non quod homines sint inuisibiles, ex quibus ecclesia colligitur, sed quod oculis nostris absconsa, Deo autem soli nota, iudicium humanum sepe subterfugiat.

*Non omnes
sunt ex eccl^e
esi qui sunt
in eccl^e.*

1. Ioann. 2.

Matth. 13.

*Ne temere et
ante tempus
iudicemus.*

Rursus non omnes qui numerantur in ecclesia, sancti & uera atque uera sunt ecclesiæ membra. Sunt enim hypocritæ multi, qui foris uerbum Dei audiunt, & sacramenta palam percipiunt, Deum quoque per Christum inuocare solum, Christum cōfiteri iustitiā suam unicam, Deum item colere, & charitatis officia exercere, patientiam in calamitatibus ad tempus perdurare uidentur; sed intus uera spiritus illuminatione, & fide animique sinceritate, & finali perseverantia destituntur. Qui etiam quales sint, tandem deteguntur ferē. Ioannes enim Apostolus: Exierunt ex nobis, inquit, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum. Et tamen dum hi simulant pietatem, licet ex ecclesia non sint, numerantur tamē in ecclesia: sicuti proditores in republica, priusquam detegantur, numerantur & ipsi inter ciues, & quemadmodum lolium uel zizania & palea inueniuntur in trito; aut sicut struma & tumores inueniuntur in integro corpore, cum reuera morbi & deformitates sint uerius corporis quam membra uera. Proinde ecclesia Dei recte comparatur fagenæ, quæ omnis generis pisces attrahit, & agro, in quo inueniuntur & zizania & triticum. Vbi maxime cauere oportet, ne ante tempus iudicemus, & excludere abijsereque, aut excindere conemur eos, quos Dominus excludi abijscique non uult, aut quos sine iactura ecclesiæ, separare non possumus. Rursus uigilandum est, ne stertentibus nūis, impij proficiendo, damnum dent ecclesiæ.

Obser-

Obseruandum præterea diligenter doceamus, in quo potissimum sit sita ueritas & unitas ecclesiæ, ne te mere schismata excitemus, & in ecclesia foueamus. Sita est illa non in cæremonijs & ritibus externis, sed magis in ueritate & unitate fidei catholicae. Fides catholicæ, nō est nobis tradita humanis legibus, sed scriptura diuina, cuius compendium, est symbolum apostolicum. Vnde legimus apud ueteres rituum suisse diuersitatem uariam, sed eam liberam, qua nemo unquam existimauit dissolui unitatem ecclesiasticam. In dogmatibus itaq; & in uera concordiq; prædicatione euangelij Christi, & in ritibus à Domino disertè traditis, dicimus ueram ecclesiæ constare concordiam; ubi illam maximè Apostoli sententiam urgemus, Quotquot itaq; perfecti sumus, hoc sētiamus. Quod si quid aliter sentitis, hoc quoq; uobis Deus reuelabit. Attamen in eo ad quod peruenimus, eadem incedamus regula, & itidem simus affecti.

Philip. 3.

DE MINISTRIS ECCLESIAE,
iporumq; institutione, & officijs.

XVIII.

Deus ad colligendam uel constituendam sibi Ecclesiam, eandemq; gubernandam & conseruandam, semper usus est ministris, ijsq; utitur adhuc, & utetur porro, quoad ecclesia in terris fuerit. Ergo ministrorum origo, institutio & functio uetustissima & ipsius Dei, nō noua aut hominum est ordinatio. Posset sanè Deus sua potentia immediate sibi adiungere ex hominibus ecclesiam, sed maluit a gere cum hominibus per ministerium hominū. Proinde spectandi sunt ministri, non ut ministri duntaxat

stris utitur in ecclesia

instituendas

origo ministrorum,

C O N F E S S I O E T E X P O S I T I O

Non contemnendum misericordium. per se, sed sicut ministri Dei, utpote per quos Deus salvum hominum operatur. Vnde cauendum monemus, ne ea quae sunt conuersionis nostrae et institutio-
nis, ita occultae uirtuti spiritus sancti attribuamus, ut ministerium ecclesiasticum euacuemus. Nam conuenit nos semper esse memores uerborum Apostoli,

Roma. 10.

Quomodo credent, de quo non audierunt? Quomodo autem audient absq[ue] prædicante? Ergo fides est ex auditu, auditus autem per uerbum Dei. Et quod Dominus dixit in euangelio, Amen amen dico uobis, qui recipit quenquam misericordiam, me recipit, qui autem me recipit, recipit eum, qui me misit. Et quod uir Macedo per visionem Paulo in Asia agenti apparens, submonuit & dixit, Profectus in Macedoniam, succurre nobis. Alibi enim idem Apostolus dixit, Dei sumus cooperari, Dei agricolatio & aedificatio estis. Rursus tamen & hoc cauendum est, ne ministris & ministerio nimium tribuamus, memores etiam hic uerborum Domini, dicentis in euangelio, Nemouenit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Et uerborum Apostoli, Quis igitur est Paulus? Quis autem Apollo, nisi ministri per quos credidistis? & ut cuique Dominus dedit? Ego plantavi, Apollos rigauit: sed Deus dedit incrementum. Itaque non qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui dat incrementum Deus. Credamus ergo Deum uerbo suo nos docere foris per ministros suos, intus autem commouere electorum suorum corda ad fidem per spiritum sanctum: ideoque omnem gloriam totius huius beneficij referendam esse ad Deum. Sed ea de re dictum est & i. cap. huius Expositionis.

Deus communiqueret corda.

Quos et quales ministros dederit Deus orbi.

Et quidem ab initio mundi, usus est Deus omnium præstantissimis in mundo (simplicibus quidem pluribus in mundana sapientia uel philosophia, sed excellentes-

sentissimis in uera theologia) hominibus, patriarchis uidelicet, cum quibus non raro colloquutus est per angelos. Fuerunt enim patriarchæ, sui seculi prophetæ siue doctores, quos Deus hoc nomine aliquot uoluuit secula uiuere, ut essent ueluti patres & lumina orbis. Sequutus est illos Moses cum prophetis, per uniuersum mundum celeberrimis. Quid quod post Christus dōhos misit pater cœlestis filium suum unigenitum, do-
ctor.
storem mundi absolutissimum, in quo est abscondita diuina illa sapientia, & in nos deriuata, per sacratissimam simplicissimamque, & omnium perfectissimam doctrinam. Allegit enim ille sibi discipulos, quos fecit apostolos. Hi uero exēutes in mundum uniuersum, collegerunt ubique ecclesiās, per prædicationem Euangeliū, deinde uero per omnes mundi ecclesiās, ordinarunt pastores, atque doctores, ex præcepto Christi, per quorū successores, hucusq; ecclesiā docuit ac gubernauit. Itaque, ut Deus ueteri populo dedit patriarchas unā cum Mose & prophetis: ita noui testamento populo, misit suum unigenitum filium unā cum apostolis, & doctoribus ecclesiæ.

Porro ministri noui populi, uarijs nuncupātur ap- Ministri noui
pellationibus. Dicitur enim Apostoli. Prophetæ, Euā
gelistæ, Episcopi, Presbyteri, Pastores, atque Docto-
res. Apostoli nullo certo consistebant loco, sed per or-
bem uarias colligebant ecclesiās. Quæ ubi iam consti-
tutæ erant, desierunt esse apostoli, ac subierunt quiq;
in sua ecclesia in locum istorum pastores. Prophetæ Prophete.
quondam præscij futurorum, uates erant: sed & scri-
pturas interpretabantur. Quales etiam hodie adhuc
inueniuntur. Evangelistæ appellabantur scriptores Euangelista.
euangelicæ historiæ, sed & præcones euangeliū Chri-
sti: quomodo & Paulus Timotheum iubet implere o-

CONFESSIO ET EXPOSITIO

Episcopi. prius euangelista Episcopi uero, sunt inspectores uigilesq; ecclesiæ, qui uictum & necessaria ecclesiæ dispensant. Presbyteri sunt seniores, & quasi senatores, patresq; ecclesiæ, gubernantes ipsam consilio salubri. Pastores ouile Domini & custodiunt, & ei de rebus propiciunt necessarijs. Doctores erudiunt, & ueram fidem pietatemq; docent. Licebit ergo nunc ecclesiarum ministros nuncupare Episcopos, Presbyteros, Pastores, atque Doctores.

Ordines pastistarum. Sequentibus porrò temporibus, multo plures in ecclesiam Dei inductæ sunt nuncupationes ministrorum in ecclesia. Alij enim ordinati sunt Patriarchæ, alij Archiepiscopi, alij Suffraganei, itē Metropolitanæ, Archipresbyteri, Diaconi quoq; Subdiaconi, Acoluthi, Exorciste, Cantores, Ianitores, & nescio qui alij ut Cardinales, Præpositi, & Priors, Patres minores & maiores, ordines maiores & minores. At de his omnibus nihil sumus nos solliciti, quales olim fuerint, aut nūc sit. Sufficit nobis apostolica de ministris doctrina.

De monachis. Ita cum sciamus certò Monachos, & monachorum ordines uel sectas, neque à Christo, neque ab Apostolis esse institutas, docemus nihil eas ecclesiæ Dei utilles esse, imò perniciosas. Tametsi enim quodam cum essent Solitarij, & manibus sibi uictum quererent, nec ullis essent oneri, sed pastoribus ecclesiarum ubique parerent, ut Laici fuerint tolerabiles, tamē nunc, quales sint uidet, & sentit uniuersus orbis. Prætexunt nescio quæ uota, & uiuunt uotis suis uitam prorsus contrariam: ut prorsus optimi eorum inter eos numeroi mereantur, de quibus dixit Apostolus, Audimus quosdam uersantes inter uos inordinate, nihoperis facientes, sed curiosè agentes. Tales ergo nos in nostris ecclesijs, nec habemus, nec in ecclesijs Christi bene-

a. Thess. 3.

bendos esse docemus.

Nemo autem honorem ministerij ecclesiastici usurpa resibi, id est, ad se largitionibus, aut ullis artibus, aut arbitrio proprio, rapere debet. Vocantur & elegantur electione ecclesiastica & legitima, ministri ecclesiae: id est, elegantur religiosi ab ecclesia, uel ad hoc deputatis ab ecclesia, ordine iusto, & absque turba, seditionibus, & contentione. Elegantur autem non quilibet, sed homines idonei, eruditione iusta & sacra, eloquenteria pia, prudentia & simplici, denique moderatione & honestate uitae insignes, iuxta canonem apostolicum, qui ab apostolo contexitur in I. ad Tim. 3. cap. & ad Tit. 1. cap. Et qui electi sunt, ordinantur a senioribus ordinatio, cum orationibus publicis, & impositione manuum. Damnamus hic omnes qui sua sponte currunt, cum Ierem. 23. non sint electi, missi, uel ordinati. Damnamus ministros ineptos, & non instructos donis pastori necessariis. Interim agnoscimus quorundam in veteri ecclesia pastorum simplicitatem innocuam, plus aliquando profuisse ecclesie, quam quorundam eruditionem uariam, exquisitam, deliscatamque, sed paulo fastuosorem. Unde ne hodie quidem reiijcimus simplicitatem quorundam probam, nec tamen omnino imperitam. Nuncupant sanè apostoli Christi omnes in Christum credentes sacerdotes, sed non ratione ministerij, sed quod per Christum, omnes fideles facti reges & sacerdotes, offerre possumus spirituales Deo hostias. Diuersissima ergo inter se sunt sacerdotium & ministerium. Illud enim commune est Christianis omnibus, ut modò diximus, hoc non item. Nec è medio sustulimus ecclesiæ ministerium, quod repudiauimus ex ecclesia Christi sacerdotium papisticum.

Evidem in novo testamento, Christi non est am-

Omnes p[ro]f[essione] sacerdotes.
Exod. 19.
1. Pet. 2.
Apoc. 1.

CONFESSIO ET EXPOSITIO

Sacerdotes
& sacerdo-
tium.

Hebr. 4.

Ministri no-
ui testamenti
quales.

1. Cor. 4.

Ministri di-
spensatores
mysteriorū
Dei.

plius tale sacerdotium, quale fuit in populo veteri, quod unctionem habuit externam, uestes sacras, & cæremonias plurimas; quæ typi fuerunt Christi: qui illa omnia ueniens & ad implens, abrogauit. Manet autem ipse solus sacerdos in æternum: cui ne quid derogemus, nemini inter ministros sacerdotis uocabulum communicamus. Ipse enim Dominus noster, non ordinavit ullos in ecclesia noui testamenti sacerdotes, qui accepta potestate à Suffraganeo, offerat quotidie hostiam, ipsam inquam carnem & ipsum sanguinem Domini pro uiuis & mortuis, sed qui doceant & sacramenta administrent. Paulus enim simpliciter & breuiter, quid sentiamus de noui testamenti, uel de ecclesiæ Christianæ ministris, & quid eis tribuamus, exponens, Sic nos aestimet homo, inquit, ut ministros Christi, & dispenses mysteriorū Dei. Proinde uult apostolus, ut de ministris sentiamus, tanquam de ministris, utriusque uero nuncupauit apostolus supremi-gatores, qui ad nauclerum unicè respiciunt, uel homines non sibi nec suo arbitrio, sed alijs uiuentes, dominis inquam suis, à quorum mandatis omnino dependent. Nam minister ecclesiæ totus & in omnibus suis officijs, non suo arbitrio indulgere, sed illud duntaxat exequi iubetur, quod in mandatis habet à suo domino. Et in præsenti quis sit dominus exprimitur, Christus, cui in omnibus ministerij negotijs sunt mancipati ministri. Adiicit præterea quò ministerium plenius explanet, ministros ecclesiæ, economos esse uel dispensatores mysteriorū Dei. Mysteria uero Dei multis in locis, imprimis ad Ephes. 3. appellauit Paulus Euangeliū Christi. Mysteria nuncupauit etiam uectas, Christi sacramenta. Proinde in hoc sunt uocati ministri ecclesiæ, ut Euangeliū Christi annuncient fideles.

fidelibus, & sacramenta administrent. Alibi enim *les* L^ec^o 12, gimus in euangelio de fideli seruo & prudente, quod eum dominus constituit super familiam suam, ut tempore opportuno det ei cibum suum. Rursus proficitur alibi in euangelio peregrē homo, relinquens domum, & in hac dat seruis suis potestatem uel substantiam suam, & suum cuiq^z opus.

Nunc ergo commodè dicemus etiam quædam de *De potestate* potestate & officio ministrorum ecclesiæ. *De potesta* ministrorum *ecclæsiæ.*
te *hac* *operiosius* *quidam* *disputarunt*, *subdiderunt* *cq* *suæ* *potestati* *omnia* *in* *terris* *summa*, *idq* *contra* *man* *datum* *domini*, *qui* *suis* *dominium* *prohibuit*, *humili*- L^ec^o 22,
tatem *autem* *maximopere* *commendauit*. *Reuera* *alia* M^at^h. 18, 20.
quidem *potestas* *est* *mera* & *absoluta*, *qua* & *iuris* *uo* *catur*. *Ea* *potestate* *Christo* *domino* *uniuersorum* *sub* *iecta* *sunt* *omnia*; *sicuti* *ipse* *testatus* *est* & *dixit*, D^at^a M^at^h. 28,
est *mihi* *potestas* *in* *cœlo* & *in* *terra*. *Et* *iterum*, Ego A^poc. 2, 3.
sum *primus* & *nouissimus*, *ecce* *sum* *uiuens* *in* *secu*-
la *seculorum*, & *habeo* *claves* *inferni* & *mortis*. Item,
Ipse *habet* *clauem* *Dauid*, *qui* *aperit*, & *nemo* *claudit*,
claudit & *nemo* *aperit*. Hanc *potestatem* *sibi* *seruat* P^ot^est^atem
dominus, *nec* *in* *alium* *quenquam* *transfert*, *ut* *ipse* ueram sibi
deinceps *ociosus* *assistat*, *operantibus* *ministris* spe- seruat Domi-
stator. I^saias enim, Clauem domus Dauid, inquit, po- nus.
nam *super* *humerū* *eius*. Et iterum, Cuius imperium
erit *super* *humerum* *eius*. Nam gubernationem non
in *ijc* *alij* *in* *suos* *humeros*, *sed* *seruat* & *utitur* *adhuc*
potestate *sua*, *gubernans* *omnia*. Alia porro potestas P^ot^est^atem offi-
est *officij* *uel* *ministerialis*, *limitata* *ab* *eo*, *qui* *plena* cij & mini-
utitur *potestate*. Ea ministerio, quam imperio similior sterialis.
est. Concedit enim dominus aliquis *œconomo* *suo*
potestatem *in* *domum* *suam*, *quo* *nomine* & *claves* claves.
dat, *quibus* *intromittat* *in* *domum*, *uel* *ex* *domo* *ex*,

CONFESSIO ET EXPOSITIO

cludat, quos Dominus uel intromitti uult uel excludi. Iuxta hanc potestatem, facit minister ex officio, quod à Domino iussus est facere; & dominus ratum habet, quod facit, ipsumque ministri sui factum perinde ut suum, uult aestimari atque agnoscere. Quò nimirum pertinent illæ euangelicæ sententiæ, Dabo tibi claves regni cœlorum, &c. Quicquid alligaueris aut solueris in terra, alligatum aut solutum erit in cœlis. Item, Quorumcunque remiseritis peccata, remittentur eis, & quorumcunque retinueritis peccata, retenta erunt. Nisi uero minister res omnes ita expedierit, sicut ius sus est à domino suo, sed limites fidei transilierit, sanè irritum habetur à domino, quod fecit. Proinde potestas ecclesiastica ministrorum ecclesiae, est functio illa, qua ministri ecclesiam Dei gubernat quidem, uerum omnia in ecclesia sic faciunt, quemadmodum uerbo suo præscripsit dominus: quæ cum facta sunt, fideles tanquam ab ipso domino facta reputant. Et de Clavis, antea quoque dictum est nonnihil.

Vna et equa
lis potestas
ministrorum.

Lucus 22.

Ordo seruan-
dus.

Data est autem omnibus in ecclesia ministris una & æqualis potestas siue functio. Certè ab initio, episcopi uel presbyteri ecclesiam communis opera gubernauerunt: nullus alteri se prætulit, aut sibi ampliorem potestatem dominiumue in coepiscopos usurpauit. Memores enim uerborum domini, Qui uoluerit inter uos primus esse, sit uester seruus, continuerunt se in humilitate, & mutuis officijs iuuuerunt se inuicem in gubernanda & conseruanda ecclesia. Interea propter ordinem seruandum, unus aut certus aliquis ministrorum, cœtum conuocauit, & in cœtu res consultandas proposuit, sententias item aliorum collegit, denique ne qua oriretur confusio, pro uirili cauit. Sic legitur fecisse in Actis Apostolorum S. Petrus, qui tamen

tamen ideo nec alijs fuit præpositus , nec potestate maiore cæteris præditus. Rectissimè enim Cyprianus martyr, de Simplicitate clericorum, Hoc erant utiq; inquit, & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari con sortio prædicti & honoris & potestatis ; sed exordium ab unitate proficiscitur, ut ecclesia una monstretur. Refert item S. Hieronymus non disparia, in Coment. ad epist. ad Titum Pauli, & dicit, Antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, communī presbyterorum consilio, ecclesiæ gubernabantur, postquam uero unusquisq; eos, quos baptisauerat, suos putabat, non Christi, decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur. Hoc tamē decretum Hieronymus, nō pro diuino uenditat. Mox enim subiicit. Sicut presbyteri sciunt se ex ecclesiæ consuetudine, ei qui sibi præpositus fuerit esse subiectos: ita episcopi nouerint se magis consuetudine, quam dispositionis dominicæ ueritate, presbyteris esse maiores, & in commune debere ecclesiam regere. Hæc ille, Ideoçp nemo iure prohibuerit ad ueterem ecclesiæ Dei cōstitutionem redire, & illam præ humana consuetudine recipere.

Quando et
quomodo ue
nus alijs pr
positum.

Officia ministrorum sunt uaria, quæ tamen pleriq; ad duo restrinquent, in quibus omnia alia comprehenduntur, ad doctrinam Christi euangelicam, & ad legitimam sacramentorum administrationem. Ministrorum enim est congregare cœtum sacrum, in hoc exponere uerbum Dei, & uniuersam doctrinam accommodare ad rationem usumq; ecclesiæ, ut ea quæ docentur, prosint auditoribus, et edificant fideles. Ministrorum inquam est, docere imperitos, hortari item, & urgere ad progrediendū in uia domini cessantes,

Que sunt mi
nistrorum
officia.

CONFESSIO ET EXPOSITIO

aut etiam tardius procedentes, consolari item & confirmare pusilanimos, munireque contra satanæ tentationes uarias, corripere peccantes, reuocare in uiam errantes, lapsos erigere, contradicentes reuincere, lupos denique ab ouili dominico abigere, scelerata item & sceleratos, prudenter & grauiter increpare, neque continuere aut tacere ad conscelerationem: sed & sacramenta administrare, usumque eorum iustum commendare, & omnes ad illa percipienda per sanam doctrinam præparare, in unitate quoque sancta fideles conseruare, & schismata prohibere, denique catechisare ruades, pauperum necessitatem commendare ecclesiæ, ægrotantes & uarijs impexos temptationibus uisitare, instruere, & in uia uitæ retinere: præterea orationes publicas, uel supplicationes necessitatis tempore, unâ cum ieiunio, id est, abstinentia sancta procurare, & omnia quæ pertinent ad ecclesiarum tranquillitatem, pacem & salutem, quam diligentissime curare. Ut autem hæc omnia rectius faciliusque possit minister præstare, requiritur ab eo imprimis, ut sit Deitimens, oret sedulo, lectioni sacræ intendat, & in omnibus & semper uigilet, & puritate uitæ omnibus præluecat. Cumque omnino oporteat esse in ecclesia disciplinam, & apud veteres quondam usitata fuerit Excommunicatio, fuerintque iudicia ecclesiastica in populo Dei, in quibus per uiros prudentes & pios exercebatur hæc disciplina, ministrorum quoque fuerit ad ædificationem, disciplinam moderari hanc, pro conditione temporum, status publici, ac necessitate. Vbi semper tenenda est regula, omnia fieri debere, ad ædificationem, decenter, honestè, sine tyrannide & seditione. Apostolus enim testatur sibi à Deo traditam esse in ecclesia potestatem ad ædificationem & non destru-

Disciplina.

3.Cor.10.

& non destructionem. Nam ipsemet Dominus uetus Matth. 13.
it lolium in agro dominico eradicari. quando periculum sit, ne & triticum euellatur.

Cæterum execramur in præsenti Donatistarum Ministri quo
errorem, qui doctrinam & administrationem sacra que mali aue-
mentorum, uel efficacem uel inefficacem, ex mala uel diendi.
bona ministrorum uita æstiment. Scimus enim uocē Christi audiendam esse uel ex malorum ministrorum ore. Quando ipse Dominus dixit. Quæ dicunt faci- Matth. 23.
te, secundum opera autem eorum nolite facere. Scimus sacramenta, ex institutione, & per uerbum Christi sanctificari, & efficacia esse pijs, tametsi offerantur ab indignis ministris. De qua re ex scripturis, multa contra Donatistas disputauit Beatus Dei seruus Augustinus. Atqui debet interim iusta esse inter ministros disciplina. Inquirendum enim diligenter in doctrinam & uitam ministrorum, in synodis. Corrispondi sunt peccantes, à senioribus, & in uitam reducendi, si sunt sanabiles, aut deponendi, & uelut lupi, abigendi sunt per ueros pastores à grege dominico, si sunt incurabiles. Si enim sint pseudodoctores, minimè ferendi sunt. Neq; uero & Oecumenica improbabamus concilia, si ad exemplum celebrentur apostolicum, ad ecclesiæ salutem, non perniciem.

Ministri quoque fideles omnes, ut boni operarij, Dignus opere
mercede sua digni sunt, nec peccant, quando stipendiū sua mercede.
omniacq; interim necessaria pro se & sua familia accipiunt. Nam apostolus ostendit hęc iure dari ab ecclesiā, & accipi à ministris, in I. ad Corinth. 9. & in I. ad Tim. 5. & alibi quoq;. Confutati sunt autem apostolica doctrina, & Anabaptistę, qui ministros ex ministerio suo uiuentes, damnant, & conuictis proscindunt.

CONFESSIO ET EXPOSITIO

DE SACRAMENTIS

Ecclesiae Christi.

XIX.

*Sacramenta
adiuncta uer-
bo, et quia
sunt.*

Prædicationi uerbi sui adiunxit Deus mox ab initio, in ecclesia sua, sacramenta uel signa sacramentalia. Ita enim clarè testatur uniuersa scriptura sacra. Sunt autem sacramenta, symbola mystica, uel ritus sancti aut sacræ actiones, à Deo ipso institutæ, constates uerbo suo, signis, & rebus significatis, quibus in ecclesia summa sua beneficia, homini exhibita, retinet in memoria, & subinde renouat, quibus item promissiones suas obsignat, & quæ ipse nobis interius præstat, exterius repræsentat, ac ueluti oculis contemplanda subiicit, adeoque fidem nostram, spiritu Dei in cordibus nostris operante, roborat & auget: quibus denique nos ab omnibus alijs populis & religionibus separat, sibiisque soli consecrat & obligat, & quid à nobis requirat, significat.

*Sacramenta
alia ueteris,
alia noui te-
stamenti.*

*Noui populi
sacramenta
quot.*

Et sunt quidem alia ueteris, alia noui populi sacramenta. Veteris populi sacramenta fuerunt, Circuncisio & Agnus paschalis, qui imolabatur: quo nomine ad sacrificia refertur, quæ fuerunt celebrata ab origine mundi. Noui populi sacramenta sunt, Baptismus & Coena dominica. Sunt qui sacramenta noui populi, septem numerent. Ex quibus nos pœnitentiam, ordinationem ministrorum, non papisticam quidem illam, sed apostolicam, & matrimonii agnoscamus instituta esse Dei utilia, sed non sacramenta. Confirmatio & Extrema unctione, inuenta sunt hominum, quibus nullo cum damno carere potest ecclesia. Neque illa nos in nostris ecclesijs habemus. Nam habent

bent illa quædam, quæ minime probare possumus. Nundinationem omnem, quam exercent Romanenses in dispensatione sacramentorum, omnino execratur. Author autem sacramentorum omnium, non est Author ^{sæ} homo ullus, sed Deus solus. Homines sacramenta instituere non possunt. Nam pertinent illa ad cultum Dei. At hominum non est instituere & formare Dei cultum; sed traditum à Deo recipere & custodire. Præterea habent symbola promissiones adiunctas, quæ requirunt fidem. Fides autem solo Dei uerbo innittitur. Et uerbum Dei habetur instar tabularum uel literarum, sacramenta uero instar sigillorum: quæ literis Deus appédit solus. Et ut Deus sacramentorum author est, ita Christus operatur adhuc in sacramentis. ^{ratur adhuc in sacramen-}

^{tis.}

perpetuò operatur in ecclesia, in qua rite peraguntur sacramenta; adeò ut fideles cum à ministris sacramenta percipiunt, agnoscant operari Deum in suo instituto, ideoquæ sacramenta perinde, ac ex ipsis Dei manu percipere, & ipsis ministri uitium (si quod insigne ipsius insit) non obesse, quando agnoscant sacramentorum integratatem dependere ab institutione domini. Vnde etiam discriminant aperte in administracione sacramentorum, inter dominum ipsum, & dominum ministrum, confitentes sacramentorum res dari ab ipso domino, symbola autem à domini ministris.

Cæterum præcipuum illud, quod in omnibus sacramentis proponitur à Deo, & attenditur à pijs omnibus omnium temporum (quod alij nuncupant substantiam & materiam sacramentorum) Christus est seruator, hostia illa unica, agnus item ille Dei mactatus ab origine mundi, petra quoque illa, de qua omnes maiores nostri biberunt, per quem electi omnes circunciduntur sine manibus, per spiritum sanctum, ablucunturque à peccatis suis omnibus, & aluntur uero

CONFESSIO ET EXPOSITIO

corpore & sanguine Christi ad uitam æternam.

*Similitudo
& differētia
sacramētorū
ueteris et no-
ui populi.*

Et quantum quidem attinet ad illud, quod in sacra mentis est præcipuum, & res ipsa, paria sunt utriusq; populi sacramēta. Nam Christus unicus mediator, & seruator fidelium, utrobicq; est illud præcipuum, & ipsa res sacramentorum. Vnus & idem Deus, utrobique horum est author, Vtrique populo data sunt illa, ut si gna adeoq; obsignationes gratiæ & promissionum Dei, quæ in memoriam reducant, reparentq; maxima Dei beneficia, quibus itē fideles ab omnibus alijs orbis religionibus sciungerentur, deniq; quæ spiritualiter per fidē perciperentur, & percipientes obstringerent ecclesiæ, & ipsos sui admonerent officij. In his in quam & similibus, non disparia sunt utriusque populi sacramenta, quæ tamen in signis sunt diversa.

Et quidem constituimus etiā in his ampliorem differentiam. Nostra enim firmiora & magis durabilia sunt, utpote quæ in finem usque seculi nunquam mutabūtur. Sed & rem & promissionem completam uel perfectam in Christo testantur, quam complendam ilia significabant. Simpliciora item sunt nostra & minus operosa, minus item sumptuosa, & ceremonijs involuta. Pertinent præterea ad ampliorem populum, per totum terrarum orbem dispersum; cumq; etiam illustriora sint, & maiorem (per spiritum sanctum) extitent fidem, insequitur etiam uberior spiritus copia.

*Veteribus ab
rogatis, no-
stra successē-
runt sacra-
menta.*

Certècum Christus uerus Messias nobis sit exhibitus, & abundantia gratia effusa in populum noui testamenti, abrogata sunt utique, ac desierunt ueteris populi sacramenta, & subrogata sunt noui testamenti symbola, in locum circumcisionis, baptismus, & in locum agni paschalis sacrificiorūq;, coena dominica.

Sicut autem quondam sacramenta constabant uer bo

bo, signo & re significata, ita nunc quoque ipsdem ue- Quibus re-
 luti partibus absoluuntur. Nam uerbo Dei fiunt, que bus constent
 antea non fuerunt, sacramenta. Consecrantur enim sacramenta.
 uerbo, & sanctificata esse ostenduntur ab eo qui insti-
 tuit. Et sanctificare uel cosecreare, est rem aliquam Deo, Consecratio
 sacrificiis usibus dedicare, hoc est, à communii uel pro- sacramento
 phano usu segregare, & sacro usui destinare. Sunt e- rum.
 nim in sacramentis signa petita ex usu uulgari, res ex
 ternae & uisibiles. In baptismo enim, signum est ele-
 mentum aquae, ablutioq; illa uisibilis, quæ fit per mini-
 strum. Res autem significata, est regeneratio uel ablu-
 tio à peccatis. In cœna uero Domini, signum est pa-
 nis & uinum, sumptus ex communii usu cibi & potus.
 Res autem significata, est ipsum traditum Domini cor-
 pus, & sanguis eius effusus pro nobis, uel communio
 corporis et sanguinis Domini. Proinde, aqua, panis &
 uinum sua natura, & extra institutionem diuinam, ac
 usum sanctum, duntaxat id sunt, quod esse dicuntur, &
 experimur. Cæterum, si accedat Domini uerbum, cum
 invocatione diuini nominis, & renouatione primæ
 institutionis & sanctificationis, signa ista cosecrantur,
 & sanctificata à Christo esse ostenduntur. Manet e-
 nim semper efficax in ecclesia Dei prima Christi insti-
 tutio, & consecratio sacramentorum, adeo ut qui non
 aliter celebrent Sacraenta, quam ipse Dominus ab
 initio instituit, fruantur etiam nunc prima illa conse-
 cratione omnium præstantissima. Et ideo recitantur
 in celebratione sacramentorum ipsa uerba Christi.
 Et quoniam uerbo Dei discimus, quod signa hæc in
 alium finem sint instituta à Domino, quam usurpen-
 tur uulgò, ideo docemus signa nunc in usu sacro, usur-
 pare rerum signatarum uocabula, nec appellari am-
 plius aquam tantum, panem & uinum, sed etiam rege-

Signa acci-
 piunt rerum
 signatarum
 nomina.

CONFESSIO ET EXPOSITIO

enerationem uel lauacrum renouationis, item corpus
& sanguinem domini, uel symbola aut sacramenta
corporis & sanguinis Domini. Non quod symbola
mutentur in res significatas, & desinant esse id quod
sunt sua natura. Alioqui enim sacramenta non essent,
quæ re significata duntaxat constarent, signa non
essent: sed ideo usurpant signa rerum nomina, quod
*Vno sacra- rerum sacrarum sunt symbola mystica, & signa & res
mental is.* significatae, inter se sacramentaliter coniungantur,
coniungantur inquam, uel uniantur per significati-
onem mysticam, & uoluntatem uel consilium eius,
qui sacramenta instituit. Non enim aqua, panis &
uinum, sunt signa uulgaria, sed sacra. Et qui in-
stituit aquam baptismi, non ea uoluntate consilio
instituit, ut fideles aqua duntaxat baptismi, per-
fundantur: & qui iussit in Coena, panem edere,
& uinum bibere, non hoc uoluit, ut fideles, panem
& uinum tantum percipiant, sine mysterio, sicut do-
mi sua panem manducant, sed ut rebus quoque si-
gnificatis, spiritualiter communicent, & uerè per si-
dem abluantur à peccatis, & Christo participant.

Idcirco minimè probamus eos, qui sanctificatio-
nem sacramentorum attribuunt, nescio quibus cha-
racteribus, & recitationi, uel uirtuti uerborum pro-
nunciatorum à consecrato, & qui habeat intentio-
nem consecrandi, aut rebus alijs aduentitijs, quæ ne-
que Christi, neque Apostolorum, uel uerbo, uel ex-
emplo nobis traduntur. Neque probamus eorum
quocq; doctrinam, qui de sacramentis perinde loquun-
tur, ut signis communibus, non sanctificatis aut effi-
caciis. Neq; eos probamus, qui propter inuisibilitia,
aspernantur in sacramentis uisibilis, adeoq; signa
sibi credunt fore superuacanea, quod rebus se iam
frui

Sexta.

frui arbitrantur, quales Messaliani fuisse dicuntur.
Nequero approbamus istorum quoque doctrinam,
qui docent gratiam & res significatas, signis ita alli- ^{Sacramentis}
gari & includi, ut quicunq^s signis exterius participet, ^{res neg; mo-}
etiam interius gratia rebusq^s significatis, participes ^{cluse sunt.}
^{neg; alligata} sint, quales quales sint.

Interim sicut à dignitate, uel indignitate ministro-
rum, non æstimamus integratatem sacramentorum,
ita neq^s à conditione sumentium. Agnoscimus enim
sacmentorum integratatem, ex fide uel ueritate mea-
raq^s bonitate Dei dependere. Sicut enim uerbum
Dei manet uerum uerbum Dei, quo non tantum uer-
ba nuda recitantur, dum prædicatur, sed simul à Deo
offeruntur res uerbis significatae, uel annunciatæ,
tametsi impij uel increduli uerba audiant, & intelli-
gant, rebus tamen significatis, non perfruantur: eò
quod uera fide non recipiant: Ita sacramenta uerbo
signis, & rebus significatis, constantia, manent uera &
integra sacramenta, non tantum significantia res sa-
cras, sed Deo offerente etiam res significatas, ta-
metsi increduli res oblatas non percipiant. Fit hoc
non dantis aut offerentis Dei uicio, sed hominum
sine fide illegitime q^s accipientium culpa: quorum in- ^{Rom. 3.}
credulitas, fidem Dei irritam non facit.

Porro cum mox ab initio, quando expositum est, ^{Ad quid in-}
quid sint sacramenta, pariter & obiter explicatum sit, ^{stituto sacra-}
ad quid sint instituta, non est quod semel dicta, cum ^{mента.}
molestia repetantur. Consequentur ergo sigillatim
dicemus, de noui populi sacramentis.

DE SANCTO BAPTISMO.

CONFESSIO ET EXPOSITIO

Institutio B.
ptismi.

Baptismus à Deo institutus & consecratus est, primusq; baptisauit Ioannes, qui Christum aqua in Iordanē tinxit. Inde defluxit ad Apostolos, qui & ipsi aqua baptisarunt. Iussit hos manifeste dominus euangelium prædicare, & baptisare, in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Et Petrus ad Iudæos, interrogantes quid facere deberent, dixit in Actis, Baptisetur unusquisq; uestrum in nomine Iesu Christi, ad remissionem peccatorum, & accipietis donum spiritus sancti. Vnde à nonnullis baptismus nuncupatus est signum initiale populi Dei, ut a pote quo initiantur Deo, electi Dei.

Vnus est B.
ptismus.

Baptisari
quid sit?

Vnus est duntaxat Baptismus in Ecclesia Dei, & satis est semel baptisari, uel initiati Deo. Durata autem semel suscepitus baptismus per omnem uitam, & est perpetua ob-signatio adoptionis nostræ. Etenim baptisari in nomine Christi, est inscribi, iniciari, & recipi in fœdus, atq; familiam, adeoq; in hæreditatem filiorum Dei, imò iam nunc nuncupari nomine Dei, id est, appellari filium Dei, purgari item à fôrdibus peccatorum, & donari uaria Dei gratia, ad uitam nouam & innocentem. Baptismus ergo in memoria retinet, & reparat ingens Dei beneficium, generi mortalium præstitum. Nascimur enim omnes in peccatorum fôribus, & sumus filii iræ. Deus autem qui diues est misericordia, purgat nos à peccatis gratuitò, per sanguinem filij sui, & in hoc adoptat nos in filios, adeoq; fœdere sancto nos sibi cōnectit, & uarijs donis ditat, ut possimus nouam uiuere uitam. Ob-signantur hæc omnia baptismo. Nam intus regeneramur, purificamur, & renouamur à Deo per spiritum sanctum: foris autem accipimus ob-signationem maximorum donorum, in aqua, qua etiam maxima illa beneficia representantur,

fentantur, & ueluti oculis nostris conspicienda propo ^{Aqua bapti-}
nuntur. Ideoque baptisamur, id est, ablui^mur, aut a^samur.
spergimur aqua uisibili. Aqua enim sordes mundat,
deficientia & cestuantia recreat, & refrigerat corpora.
Gratia uero Dei haec animabus praestat, & quidem in
uisibiliter uel spiritualiter.

Separat item nos Deus baptismi symbolo ab om- ^{Baptismi ob-}
nibus alienis religionibus & populis, & sibi conse- ^{ligatio.}
crat ceu peculium: nos itaque dum baptisamur, con-
fitemur fidem nostram, & obstringimur Deo ad obe-
dientiam & mortificationem carnis uitæ^cp nouitatē,
adeo^cp inscribimur in sanctam Christi militiam, ut co-
sto uitæ cursu pugnemus contra mundum & satanā,
atque carnem propriam. Baptisamur præterea in u-
num ecclesiæ corpus, ut cum omnibus membris ecce-
siæ, pulchre in una & eadem religione mutuisc^p offi-
cijs, consentiamus.

Credimus perfectissimam esse baptisandi formam, ^{Forma ba-}
qua Christus ipse baptisatus est, & qua baptisarunt ^{baptisandi.}
apostoli. Ergo quæ humana inuentione postea adie-
cta & usurpata sunt in ecclesia, non arbitramur neces-
saria esse ad perfectionem baptismi: cuius generis est
exorcismus, usus item ardenti luminis, olei, salis, sputi,
& similiū rerum, ut quod baptismus singulis an-
nis, pluribus cæremonijs bis consecratur. Nos enim
credimus unum ecclesiæ baptisma, in prima Dei insti-
tutione sanctificatum esse, & consecrari per uerbum,
efficacem^cp esse nunc etiam, propter primam Dei be-
nedictionem.

Docemus baptismum in ecclesia non administrari ^{Minister ba-}
debere a mulierculis, uel ab obstetricibus. Paulus e- ^{ptismi.}
nim remouit mulierculas ab officijs ecclesiasticis. Ba-
ptismus autem pertinet ad officia ecclesiastica. Dam-

CONFESSIO ET EXPOSITIO

Anabaptiste namus Anabaptistas, qui negant baptisandos esse infantulos recens natos à fidelibus. Nam iuxta doctrinam Euangelicam, horum est regnum Dei, & sunt in foedere Dei, cur itaque non daretur eis signum foederis Dei? Cur non per sanctum baptismum iniciarentur, qui sunt peculium & in ecclesia Dei? Damnamus Anabaptistas, & in alijs ipsorum dogmatibus, quæ contra uerbum Dei peculiaria habent. Non sumus ergo Anabaptistæ, neque cum eis in ulla re ipsorum communicamus.

DE SACRA COENA

Domini.

X X I.

Cœna domini.

Go Oena domini, quæ, & mensa domini, & Eucharistia, id est, gratiarum actio nuncupatur, ideo cœna nuncupatur uulgo, quod à Christo in ultima illa cœna sua instituta sit, eamque adhuc repræsentet, ac in ipsa spiritualiter cibentur & potentur fideles. Author enim Cœnae dominice, non est angelus aut homo ullus, sed ipse Dei filius dominus noster Iesus Christus, qui primus eam ecclesiæ suæ consecravit. Durat autem ea consecratio uel benedictio adhuc apud omnes eos, qui non aliam cœnā, sed illam ipsam celebrant, quam dominus instituit: ad quam uerba cœnae dominice recitant, & in omnibus ad unum Christum uera fide respiciunt, ex cuius ueluti manibus accipiunt, quod per ministerium ministrorum ecclesiæ accipiunt. Retinere uult Dominus ritu hoc sacro, in recenti memoria, maximum generi mortalium præstitum beneficium, nempe, quod tradito corpore & effuso suo sanguine, omnia nobis peccata

Author et
consecrator
cœnae.

Memoria be-
neficiorum
Dei.

cata nostra condonauit, ac à morte æterna & potesta
te diaboli nos redemit, iam pascit nos sua carne & po-
tat suo sanguine, quæ uera fide spiritualiter perce-
pta, alunt nos ad uitam æternam. Ethoc tantum bene-
ficium renouatur toties, quoties coena domini cele-
bratur. Dixit enim dominus: Hoc facite in mei com-
memorationem. Obsignatur item hac coena sacra,
quod reuera corpus domini pro nobis traditum, &
sanguis eius in remissionem peccatorum nostrorum
effusus est, ne quid fides nostra uacillet. Et quidem signum & res signata.
uisibiliter hoc foris sacramento per ministrum repræ-
sentatur, & ueluti oculis contempladum exponitur,
quod intus in anima inuisibiliter, per ipsum spiritum
sanctum præstatur. Foris offertur à ministro panis, &
audiuntur uoces Domini, Accipite, edite, Hoc est
corpus meum, Accipite & diuidite inter uos, Bibite
ex hoc omnes, Hic est sanguis meus. Ergo accipiunt
fideles quod datur à ministro domini, & edunt pa-
nem domini, ac bibunt de poculo domini: intus in-
terior opera Christi per spiritum sanctum, percipiunt
etiam carnem & sanguinem domini, & pascuntur
his in uitam æternam. Etenim caro & sanguis Christi,
uerus cibus & potus est ad uitam æternam: & Chri-
stus ipse, quatenus pro nobis traditus & saluator no-
ster est, illud præcipuum Coenæ est, nec patimur quic-
quam aliud in locum eius substitui.

Vt autem rectius & perspicacius intelligatur, quo
modo caro & sanguis Christi sint cibus & potus fide-
lium, percipiuntur à fidelibus ad uitam æternam,
paucula hæc adiisciemus. Manducatio non est unius
generis. Est enim manducatio corporalis, qua cibus
in os percipitur ab homine, dentibus atteritur, & in
uentrem deglutitur. Hoc manducationis genere in-

CONFESSIO ET EXPOSITIO

tellexerunt olim Capernaitæ sibi manducandam car
nem Domini, sed refutantur ab ipso, Joan.ca.6. Nam
ut caro Christi corporaliter manducari non potest ci-
tra flagitium aut truculentiam, ita non est cibus uen-
. tris. Id quod omnes fateri coguntur. Improbamus ita
que canonem in Decretis pontificum, Ego Berenga-
rius, de Consecrat. Distinct. 2. Neq; enim credidit ue-
tustas pia, neq; nos credimus, corpus Christi māduca-
ri ore corporis corporaliter, uel essentialiter.

*Spirituali-
ter manduca-
re dominum.* Est & spiritualis manducatio corporis Christi,
non ea quidem, qua existimemus cibū ipsum muta-
ri in spiritū, sed qua, manēte in sua essentia & proprie-
tate corpore & sanguine Domini, ea nobis communi-
cantur spiritualiter, utique non corporaliter modo, sed
spiritualiter, per spiritum sanctum, qui uidelicet ea, quæ
per carnem & sanguinem Domini pro nobis in mor-
tem tradita, parata sunt, ipsam inquam remissionem
peccatorum, liberationem, & uitam æternam, appli-
cat & confert nobis, ita ut Christus in nobis uiuat, &
nos in ipso uiuamus, efficitq; ut ipsum, quo talis sit ci-
bus & potus spiritualis noster, id est, uita nostra, uera
fide percipiamus. Sicut enim cibus & potus corpora-
bus conseruat, corpora nostra non tantum reficiunt ac roborant,
in uita.

*Christus ci-
bus conseruat* Ita & caro Christi tradita pro
nobis, & sanguis eius effusus pro nobis, non tantum
reficiunt & roborant animas nostras, sed etiam in ui-
ta conseruant, nō quatenus quidē corporaliter edun-
tur & bibuntur, sed quatenus spiritualiter nobis à spi-
ritu Dei communicantur, dicente Domino, Et panis
quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi
uita. Item, Caro (nimirum corporaliter manducata)
non prodest quicquam, spiritus est, qui uiuificat. Et
uerba quæ loquor uobis, spiritus & uita sunt. Et sicut
oportet

oportet cibum in nosmetipsos edendo recipere, ut Christus editur uel percipiatur per fidem. operetur in nobis suamq; in nobis efficaciam exerat, cum extra nos positus, nihil nobis prosit: ita necesse est nos fide Christum recipere, ut noster fiat, uiuatq; in nobis, & nos in ipso. Dicit enim, Ego sum panis uitæ. Qui uenit ad me, nō esuriet, & qui credit in me, non sitiet unquam. Item, Qui ederit me, uiuet & ipse propter me; ac manet in me, & ego in ipso. Ex quibus omnibus claret nos, per spiritualem cibum, minimè cibus. intelligere imaginarium, nescio quem cibum, sed ipsum Domini corpus pro nobis traditum, quod tam perciptatur à fidelibus, non corporaliter, sed spiritualiter per fidem. In qua re sequimur per omnia doctrinam ipsius Saluatoris Christi domini, apud Ioan. in cap. 6. Et hic eesus carnis, & potus sanguinis Domini, ita est necessarius ad salutem, ut sine ipso, nullus seruari possit. Fit autem hic eesus & potus spiritualis, etiam extra Domini cœram, & quoties, aut ubi cuncti homo in Christum crediderit. Quo fortassis illud Augustini pertinet, Quid paras dentem & uentre, crede, & manducasti.

Præter superiorem manducaionem spiritualem, est & sacramentalis manducatio corporis domini, qua fidelis non tantum spiritualiter & internè partcipat uero corpore & sanguine domini, sed foris etiā accedendo ad mensam domini, accipit uisibile corporis & sanguinis domini sacramentum. Prius quidem, dum credit fidelis, uiuificum alimento perceperit, & ipso fruictur adhuc, sed ideo, dum nunc sacramentum quoq; accipit, non nihil accipit. Nam in continuatione communicationis corporis & sanguinis domini pergit, adeoq; magis magisq; incenditur, & crescit fides, ac spirituali alimonia reficitur. Dum

Manducatio
ad saluiem
necessaria.

Sacramenta
liter mandu-
care dominū.

CONFESSIO ET EXPOSITIO

enim uiuimus, fides continuas habet accessiones. Et qui foris uera fide sacramentum percipit, idem ille non signum duntaxat percipit, sed re ipsa quoq; ut diximus, fruitur. Præterea idem ille institutioni & mandato domini obedit, lætoq; animo gratias pro redemptione sua totiusq; generis humani agit, ac fidelis mortis dominicae memoriam peragit, atq; coram ecclesia, cuius corporis membrum sit, attestatur, ob-signatur item percipientibus sacramentum, quod corpus domini non tantum in genere pro hominibus sit traditum, & sanguis eius effusus, sed peculiariter pro quoquis fidelis communicanti, cuius cibus & potus sit ad uitam æternam.

Increduli sumunt sibi sacramentum in iudicium. Ceterum qui nulla cum fide ad hanc sacramentum mensam accedit, sacramento duntaxat communicat, & rem sacramenti, unde est uita & salus, non percipit. Et tales indignè edunt de mensa domini. Qui autem indignè edunt de pane domini, & de poculo eius bibunt, rei fiunt corporis & sanguinis domini, & ad iudicium sibi edunt & bibunt. Nam cum uera fide non accedant, mortem Christi contumelia afficiunt, & ideo damnationem sibi ipsis edunt & bibunt.

Presentia Christi in cœna. Ergo corpus domini & sanguinem eius, cum pane & uino non ita coniungimus, ut panem ipsum dicamus esse corpus Christi, nisi ratione sacramentali, aut sub pane corporaliter latitare corpus Christi: ut etiam sub speciebus panis adorari debeat, aut quicunq; signum percipiat, idem & rem percipiat ipsam. Corpus Christi in cœlis est, ad dexteram patris. Sursum ergo eleuanda sunt corda, & non defigenda in panem, nec adorandus dominus in pane. Et tamen non est absens ecclesiae suæ celebranti cœnam dominus,

minus. Sol absens à nobis in coelo, nihilominus effica-
citer præsens est nobis; quanto magis sol iustitiae Chri-
stus, corpore in cœlis absens nobis, præsens est nobis,
non corporaliter quidem, sed spiritualiter per uiuifi-
cam operationem, & ut ipse se nobis præsentem futu-
rū exposuit, in ultima cœna. Ioan. 14. 15. 16. Vnde con-
sequens est nos, non habere cœnam sine Christo, in-
terim tamen habere cœnam incruentam & mysticam,
sicuti uniuersa nuncupauit uetus.

Admonemur præterea celebratione cœnæ do-
minicæ, ut memores simus, cuius corporis membra
facti simus, & idcirco concordes simus cum omnibus
fratribus, ut sancte uiuamus, & non polluamus nos
flagitijs, & peregrinis religionibus, sed in uera fide in
finem usq; uitæ perseverantes, studeamus excellere
sanctimonia uitæ. Decet ergo, ut accessuri ad cœnam, ^{Preparatio}
prius nosipso iuxta præceptum Apostoli probe-^{ad cœnam.}
mus, imprimis quali simus fide prædicti, an credamus
Christum uenisse, seruandis peccatoribus, & ad po-
nitentiam uocandis, & an quisq; credat, se in horum
esse numero, qui per Christum liberati seruantur, &
an mutare uitam prauam instituerit, ac uiuere sanctè,
perseuerare cęp, auxiliante domino, in uera religione,
& in concordia cum fratribus, dignasq; Deo pro libe-
ratione agere gratias, &c. Ritus, modum, uel for-
mam cœnæ, illam existimamus esse simplicissimam
& præstantissimā, quæ proxime accedit ad primam
domini institutionem, & apostolicam doctrinam;
quæ uidelicet constat annunciatione uerbi Dei, pre-
cibus pijs, ipsa actione dominica, & repetitione eius,
mandatione corporis, & potu sanguinis domi-
ni, memoria item mortis dominicæ salubri, & gra-
tiarum actione fideli, nec non sancta consociatione:

Alij fines cœ
nae domini.

Ritus cœnæ
et utraq; spe-
cies.

CONFESSIO ET EXPOSITIO

in corporis ecclesiastici unionem. Improbamus itaque illos, qui alteram speciem, poculum inquam domini, fidelibus subtraxerunt. Grauiter enim hi peccat contra institutionem domini, dicentis, Bibite ex hoc omnes: id quod ad panem, non ita expressè dixit.

Missa qualis aliquando apud ueteres fuerit, tolerabilis an intolerabilis, modo non disputamus, hoc autem liberè dicimus, missam, quæ hodie in usu est per uniuersam Romanam Ecclesiam, plurimas & iustissimas quidem ob causas, in ecclesijs nostris esse abrogatam, quas sigillatim ob breuitatem nunc non commemoramus. Certè approbare non potuimus, quod ex actione salubri, spectaculū inane est factum, quod itē facta est meritoria, uel celebrata pro precio, quodque in ea sacerdos dicitur confidere ipsum domini corpus, & hoc offerre realiter, pro remissione peccatorum uiuorum & mortuorum, adde & in honorem & celebrationem, uel memoriam sanctorum in coeli, &c.

DE COETIBVS SACRIS ET Ecclesiasticis.

XII.

Que fieri debent in cœtibus sacris.

Tame si omnibus sacras literas priuatum legere domi, & instruendo ædificare mutuum in uera religione liceat, ut tamen legitimè annuncietur uerbum Dei populo, & preces ac supplicationes fiant publicè, sacramenta item celebrentur legitimè, & collecta ecclesiæ fiat in pauperes & omnes ecclesiæ necessarios sumptus faciendo, aut usus sustentandos, necessarij sunt omnino cœtus sacri uel Ecclesiastici fidelium conuentus. Constat enim in Ecclesia apostolica, & primitiva huiusmodi cœtus esse ab

se ab omnibus p̄ijs frequentatos. Quotquot hos asper-
nantur, & ab his sese segregant, religionem uerā con-
temnunt, urgendiq̄ sunt à pastoribus & p̄ijs magistra-
tibus, ne contumacius se segregare, & cōetus sacros
auersari pergent. Sint uero cōetus ecclesiastici non oc-
culti & obscuri, sed publici atque frequentes, nisi per
sequutio hostium Christi & ecclesiae non sinat esse
publicos. Scimus enim quales fuerint quondam pri-
mitiuæ ecclesiae cōetus in abditis locis, sub tyrannide
Romanorum príncipum. Sint autem loca in quibus Loca cōetuū
coeunt fideles, honesta, & ecclesiae Dei per omnia honesta.
commoda. Deligantur ergo ædes amplæ, aut tem-
pla. Repurgentur tamen ab ihs rebus omnibus, quæ
ecclesiam nō decent. Instruantur aut omnia pro deco-
ro, necessitate, & honestate pia, ne quid desit, quod re-
quiritur ad ritus & usus ecclesiae necessarios. Sicut au- Modestè ex
tem credimus Deum non habitare in templis manu-
factis, ita propter uerbum Dei & usus sacros, scimus
loca Deo cultuiq̄ eius dedicata, non esse prophana
sed sacra, & qui in his uersantur, reuerentur & mode-
stè conuersari debere, utpote qui sint in loco sacro, co-
ram Dei conspectu & sanctorum angelorū eius. Lon- Ornatus tem-
gē itaque à templis & oratorijs Christianorum, repel- plorū uerus.
lendus est omnis uestium luxus, omnis superbia, &
omnia quæ humilitatem, disciplinam & modestiā de-
cent christianam. Ac uerus templorum ornatus,
non constat ebore, auro, & gemmis, sed frugalitate,
pietate, uirtutibusq̄ eorum qui uersantur in templo.
Omnia autem decenter & ordine fiant in ecclesia, o- Peregrine
mnia denique fiant ad ædificationem. Taceant ergo lingue fileat
omnes peregrinæ linguae in cōetuū sacrīs. Omnia
proponantur lingua uulgarī, & quæ eo in loco ab ho- in cōetu.
minibus in cōetu intelligatur.

CONFESSIO ET EXPOSITIO
DE PRECIBVS ECCLESIAE,
cantu, & horis canoniciis.

XXIII.

Lingua uul-
garis.

Oratio.

Orationis
libertas.

Modus adbi-
bendus preci-
bus publicis.

Icet sanè priuatim precari quauis lingua, quā quis intelligat, sed publicæ preces in sacris cœtibus vulgaris lingua, uel omnibus cognita fieri debēt. Oratio fidelium omnīs, per solum Christi interuentum, soli Deo fundatur, ex fide & charitate. Diuos cœlites inuocare, aut his uti pro intercessoribus prohibet sacerdotiū Christi domini, & uera religio. Orandum est autem pro magistratu, pro regibus aut omnibus in eminētia constitutis, pro ministris ecclesiæ & omnibus necessitatibus ecclesiariū. Incalamitatis uerò & potissimum ecclesiæ, absq; intermissione, & priuatim & publicè precandum est. Sponte itē precandum est, nō coacte, neq; pro ullo precio. Neq; decet orationem superstitione astrictam esse loco, quā si alibi non liceat, nisi in templo precari. Neq; oportet preces publicas, quō ad formā & tempus, in omnibus ecclesijs esse pares. Libertate enim sua utantur ecclesiæ quelibet. Socrates in historia, In omnibus ubiq; regionibus, inquit, non poteris inuenire duas ecclesijs, quæ orando plenè consentiant. Huiusmodi discrepantię authores eos esse puto, qui singulis temporibus, ecclesijs præfuerunt. Si tamen sunt congruentes, maxime cōmendandū id, & alijs imitandum uidetur.

Sed & modum esse decet, ut in re quauis, ita & in precibus publicis, ne nimiris sint prolīxæ & molestæ. Cedant ergo potiores partes in cœtibus sacrī doctrinæ Euangelicæ, caueaturq; ne nimiris prolīxis precibus fatigetur in cœtu populus, ut cum audienda est

prædi-

prædicatio Euangelij, uel egredi ex cœtu, uel hunc in
uniuersum solui cupiant defatigati. Talibus in con-
cione nimis uidetur prolixum esse, quod aliâs succin-
ctum est satis. Nam & Concionatores modum tene-
re decet. Sic & cantus in cœtu sacro est moderandus, Cantus.
ubi is est in usu. Cantus, quem Gregorianum nuncu-
pant, plurima habet absurdâ: unde relectus est meritò
à nostris & pluribus ecclesijs. Si ecclesiæ sunt quæ ora-
tionem fidelem legitimamq; habent, cantum autem
nullum habent, condemnari non debent. Non enim
canendi commoditatem omnes habent ecclesiæ. Ac
certum est ex testimonij uetus tatis, ut cantus usum
fuisse uetus tissimum in orientalibus ecclesijs, ita serò
tandem receptum esse ab occidentalibus.

Horas canonicas, id est, preces ad certas in die ho-
ras compositas, & à Papistis cantatas aut recitatas, ne-
sciuit uetus tatis: quod ex ipsis Horarum lectionibus,
& argumentis pluribus demonstrari potest. Sed & ab-
surdâ non pauca habent, ut nihil dicam aliud, proin-
de omittuntur recte ab ecclesijs substituentibus in lo-
cum ipsarum res salutares ecclesiæ Dei uniuersæ.

DE FERIIS, IEIVNIIS,
ciborumque delectu.

XXIII.

QVanquam religio temporis non alligetur, nō Tempus, ne-
potest tamen absq; iusta temporis distinctio-
ne uel ordinatione plantari & exerceri. Deli- cessarium ad
git ergo quæuis ecclesia sibi tempus certum ad pre- exercendam
ces publicas, & euangelij prædicationem, nec non sa- religionem.
cramentorum celebrationem. Non licet autem cui-
uis pro suo arbitrio ecclesiæ ordinationem hanc con-

CONFESSIO ET EXPOSITIO

uellere. Ac nisi ocium iustum concedatur religionis externæ exercitio, abstrahuntur certè ab eo, negotijs suis homines. Vnde uidemus in ecclesijs uetus tis, non tantum certas fuisse horas in septimana constitutas cœtibus, sed ipsam diem dominicam ab ipsis apostolorum temporibus, iisdem sacroq[ue] ocio fuisse consecrata; quod etiam nunc recte propter cultum & charitatem, ab ecclesijs nostris custoditur. Observatiōnē Iudaicæ & superstitionibus, nihil hic permittimus. Neque enim alteram diem, altera sanctiōrem esse credimus, necq[ue] ocium Deo per se probari existimamus, sed & dominicam non sabbatum, libera obseruatione celebramus.

**Festa Christi
& sanctorū.** Præterea si ecclesiæ, pro Christiana libertate, memoriā dominicæ nativitatis, circuncisionis, passionis & resurrectionis, ascensionis item in cœlū, & missiōnis sancti spiritus in discipulos, religiosè celebrēt, maxime opere approbamus. Festa uero hominibus, aut diuis instituta, non probamus. Et sanè pertinent feriae ad tabulam legis primam, & sunt solius Dei: denique habent feriae diuis institutæ, & à nobis abrogatæ, absurdæ, inutilia, minimeq[ue] toleranda plurima. Intērim fatemur nō inutiliter sanctorum memoriam, suo loco & tempore, in sacris concionibus populo commendari, & omnibus sancta exempla sanctorum imitanda proponi.

Ieiunium. Quanto uero grauius accusat Christi ecclesia crapulam, ebrietatem, & omnem libidinem ac intemperantiam, tanto uehementius commendat nobis ieuium Christianū. Est enim ieuium aliud nihil, quam abstinentia & temperantia piorum, disciplina item, cūstodia, & castigatio carnis nostræ, pro necessitate presenti suscepta, qua humiliamur coram Deo, & carni sua

sua fomenta detrahimus, quò facilius libentiusq; spiritui pareat. Proinde non ieunant, qui istorum nullam rationem habent, sed ieunare se credunt, si semel in die farciant uentrem, & certo uel præscripto tempore à certis abstineant cibis, existimantes hoc opere operato, se Deo placere, & bonum opus facere. Ieunium est adminiculum orationis sanctorum ac uitium omnium. Non placuit Deo, (ut uidere est in prophetarum librís) ieunium, quo à cibo, non à sceleribus ieunabant Iudæi.

Est autem publicum ieunium, & priuatum. Celebrarūt olim ieunia publica calamitosis temporibus rebusq; ecclesiæ afflictis. Abstinebant in uniuersum à cibo ad uesperam usq;. Totum autē hoc tempus impendebant precibus sacris cultuiq; Dei & poenitentia. Parum hæc absfuerunt à luctu: & frequens fit horum mentio in prophetis, præcipue apud loelem in cap. 2. Celebrari debet huiusmodi ieunium, etiam hodie in rebus ecclesiæ difficultibus. Priuata ieunia suscipiuntur abs quoq; nostrum, prout quisque senserit detrahi spiritui. Hactenus enim fomenta carni detrahit.

Omnia ieunia proficiunt debent ex libero, spontaneoq; spiritu & uere humiliato, nec composita esse ad platum uel gratiam hominum consequendā, multò minus eō, ut per ipsa uelit homo iustitiam demeriri. Ieunet autem in hunc finem quilibet, ut fomenta carni detrahat, & feruentius Deo inseruat.

Quadragesimale ieunium, uetus statis habet festi- monia, sed nulla ex literis apostolicis: ergo non debet, nec potest imponi fidelibus. Certum est, quondam uarias fuisse ieuniorum formas uel consuetudines. Vn de Irenæus scriptor uetusissimus, Quidam, inquit,

*Publica ex
priuata ieu-
nia.*

*Qualia sim
ieunia.*

CONFESSIO ET EXPOSITIO

putant uno tantum die obseruari debere, ieiunium, alij duobus, alij uero pluribus, nonnulli etiam quadraginta diebus. Quae uarietas obseruantiae, non nostris nunc demum temporibus coepit, sed multo ante nos, ex illis, ut opinor, qui non simpliciter, quod ab initio traditum est, tenentes, in alium morem, uel per negligentiam, uel per imperitiam postmodum decidere. Sed & Socrates historicus, Quia lectio nulla, inquit, de hoc inuenitur antiqua, puto apostolos hoc singularum reliquissime sententiae, ut unusquisque operetur, non timore & necessitate, quod bonum est.

Delectus ciborum.

Gene. 2.

Titum 1.

1. Cor. 10.

1. Tim. 4.

Coloff. 2.

Septe.

Iam uero quoad delectum ciborum attinet, in ieiunijs arbitramur omne id detrahendum esse carni, unde redditur ferocior, & quo delectatur impensius, unde existunt fomenta carni, siue pisces sint, siue carnes, siue aromata, delitiae ue aut præstantia uina. Alioqui scimus, creaturas Dei omnes conditas esse in usus & seruitia hominum. Omnia quae condidit Deus, bona sunt, & citra delectum, cum timore Dei & iusta moderatione usurpanda. Apostolus enim, Omnia, inquit, mundis muda sunt. Item, Omne quod in macello uen ditur, edite, nihil interrogantes propter conscientiam. Idem Apostolus nominat doctrinam eorum, qui iubent abstinere a cibis, doctrinam demoniorum. Cibos enim creasse Deum ad sumendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognoverunt ueritatem, quod quicquid creauit Deus, bonum sit, & nihil restringendum, si sumatur cum gratiarum actione, &c. Idem ad Colossem. reprobat eos, qui nimia abstinentia, sibi comparare uolunt existimationem sanctitatis. Nos itaque in uniuersum reprobamus Tatianos & Encratitas, omnes denique Eustachij discipulos, contra quos congregata est Gangrensis synodus.

DE

DE CATECHESI, ET AEGRORUM
tantum consolatione vel visitatione.

XXV.

Dominus ueteri suo populo iniunxit, maxime instituenda curam ut impenderent ab infantia re ipsius pietate peritatem, ete instituendae iuuentuti, adeoque mandauit. diserte in lege sua, erudirent, & sacramentorum mysteria interpretarentur. Cum autem ex euangelicis & apostolicis literis constet, Deum non minorem rationem habere noui sui populi pubis, cum palam testetur & dicat, Sinite pueros uenire ad me, talium enim est regnum cœlorum, consultissime faciunt ecclesiarum pastores, qui iuuentutem mature & diligenter catechisant, prima fidei fundamēta iacentes, ac rudimenta religionis nostræ fideliter docentes, explicando Decalogum mandatorum Dei, symbolum item Apostolorum, Orationem quoque dominicam, & sacramentorum rationem, cum alijs eius generis primis principijs, & religionis nostræ capitibus præcipuis. Fidem uero & diligentiam hic suam in adducendis ad Catechismum liberis prestat ecclesia, cupiens & gaudens liberos suos recte institui.

Cum uero nunquam grauioribus temptationibus expositi sint homines, quam dum infirmitatibus exercitiorum. centur aut ægrotant, morbis cum animi tum corposis fracti, nunquam sane conuenit pastores ecclesiarum saluti sive gregis inuigilare accuratius, quam in huiusmodi morbis & infirmitatibus. Visitent ergo mature ægrotantes, uocentur item mature ab ægrotantibus, siquidem res ipsa postulauerit, consolentur autem illos, & in uera fide confirmant, munitant denique contra perniciose satanæ suggestiones; instituant

CONFESSIO ET EXPOSITIO

item preces apud ægrotantem domesticas , ac si ne-
cessit sit, precentur pro ægrotantis salute etiam in cœ-
tu publico , curenþ, quò feliciter ex hoc seculo mi-
gret. Papisticam utilitationem cum sua illa unctione
extrema, diximus superius nos non approbare, quod
absurda habeat, & à scriptura canonica non appro-
betur.

D E S E P V L T V R A F I D E L I V M ,

*curaq; pro mortuis gerenda, De purgatorio, &
apparitione spirituum.*

X X V I .

*Sepelire cor-
pora.*

Iidelium corpora , ut spiritus sancti templæ,
& quæ in ultimo die rectè creduntur resur-
rectura, iubet scriptura honestè absq; super-
stitione humo madare , sed & honestam eorum , qui
sanctè in domino obdormiuerunt , mentionem face-
re, relictisq; eorum, ut uiduis & pupillis, omnia pietà-
tis officia præstare ; aliam non docemus pro mortuis
curam gerere. Improbamus ergo maximè Cynicos,
corpora mortuorum negligentes , aut quām negli-
gentissimè contemptissimeq; in terram abiçientes,
nunquam uel uerbum bonum de defunctis facien-
tes, aut relictos ipsorum , ne tantillum quidem curan-
tes. Improbamus rursus nimis & præposterè officio-
sos in defunctos, qui instar ethniconum, suos deplan-
gunt mortuos (luctum moderatum, quem apostolus
1. Thess. 4. concessit, non uituperamus, inhumanum
esse iudicantes, prorsus nihil dolere,) & pro mortuis
sacrificant, & preculas certas, non sine precio demur-
muran, huiusmodi suis officijs liberaturi suos illos
ex tormentis , quibus à morte immersos, & inde rur-
sus

*Cura pro de-
functis.*

Sus liberari posse, huiusmodi nænijs arbitrantur. Credimus enim fideles recta à morte corpore a migrare ad Christum, ideoque uiuentium suffragijs aut precibus pro defunctis, deniq; illis suis officijs nihil indicere. Credimus item infideles recta præcipitari in tarta, ex quibus nullus impijs aperitur, ullis uiuentium officijs, exitus.

Quod autem quidam tradunt de igne purgatorio, Purgatoriū. fidei Christianæ, Credo remissionem peccatorum, & uitam æternam, purgationijs plenæ per Christum, & Christi domini hisce sententijs aduersatur, Amen a= Ioan. 5. men dico uobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet uitam æternam, & in iudicium non ueniet, sed transiuit à morte in uitam. Item, Qui Ioan. 13. lotus est, non opus habet, nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus, & uos mundi estis.

Iam quod traditur de spiritalibus uel animabus mori Spirituū ap- tuorum, apparentibus aliquando uiuentibus, & pe- paritio. tentibus ab eis officia, quibus liberentur, deputamus apparitiones eas inter ludibria, artes & deceptiones diaboli, qui ut potest se transfigurare in angelum lucis, ita fatagit fidem ueram, uel euertere, uel in dubium reuocare. Dominus in ueteri testamento uetus ueritatem sciscitari à mortuis, & ullum cum spiritalibus habere commercium. Epuloni uero pœnis mancipato, Deut. 18. Luc. 16. sicut narrat ueritas euangelica, negatur ad fratres suos reditus: pronunciante interim diuino oraculo atq; dicente, Habent Mosen & prophetas, audiant illos. Si Mosen & prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

DE RITIBVS ET CABRE-

monijs, & medijs.

XXVII.

M

CONFESSIO ET EXPOSITIO

Ceremonie
& ritus.

Rom. 6.

Act. 15.

Veteri populo traditæ sunt quondam cæremoniæ, ut paedagogia quædam, ijs qui sub lege ueluti sub paedagogo & tutore quodam custodiebatur, sed adueniente Christo liberatore, legeq; sublata, fideles sub lege amplius nō sumus, disparueruntq; cæremoniæ: quas in ecclesia Christi adeò retinere aut reparare noluerunt Apostoli, ut apertè sint testati se nullum onus uelle imponere ecclesiæ. Proinde Iudaismum uideremur reducere aut restituere, si in ecclesia Christi, ad merem ueteris ecclesiæ, cæremonias ritusue multiplicaremus. Ideoque minime approbamus eorum sententiam, quibus usum est ecclesiam Christi cohiberi oportere, ceu paedagogia quadam, multis uarijsq; ritibus. Nam si populo Christiano Apostoli cæremonias uel ritus diuinitus traditos impoñere noluerunt, quis orofanè mentis, obtrudet illi ad inuentiones adiuuentas humanitus: Quanto magis accedit cumulo rituum in ecclesia, tanto magis detrahitur non tantum libertati Christianæ, sed & Christo & eius fidei; dum uulgas ea querit in ritibus, que queret in solo Dei filio Iesu Christo per fidem. Sufficiunt itaque pijs pauci, moderati, simplices, nec alieni à uerbo Dei ritus.

Impares
ritus.

Quod si in ecclesijs dispare inueniuntur ritus, nemō ecclesiæ existimet ex eo esse dissidentes. Socrates, Impossibile fuerit, inquit, omnes ecclesiæ, que per ciuitates & regiones sunt, ritus conscribere. Nulla religio eosdem ritus custodit, etiamsi eandem de illis doctrinam amplectatur. Etenim qui eiusdem sunt fidei, de ritibus inter se dissentunt. Hæc ille. Et nos hodie ritus diuersos in celebratione cœnæ domini & in alijs nonnullis rebus habentes in nostris ecclesijs, in doctrina tamē & fide non dissidemus, neq; unitas, soci-

Societasq; ecclesiarum nostrarū ea re discinditur. Semper uero ecclesiæ in huiusmodi ritibus, sicut medijs, usq; sunt libertate. Id quod nos hodie quoq; facimus.

At cauendum interī monemus, ne inter media *Media.*
deputentur, ut quidam solent Missam & usum imaginis
num in templo pro medijs reputare, quæ reuera non
sunt media. Indifferens (dixit ad Augustin. Hieron.)
illud est, quod nec bonum nec malum est, ut siue fece-
ris, siue non feceris, nec iustitiam habeas nec iniusti-
tiam. Proinde cum adiaphora rapiuntur ad fidei con-
fessionem, libera esse desinunt: sicuti Paulus ostendit, *1. Cor. 8. 10.*
licitū esse carnis uesci, si quis nō submoneat, idolis
esse litatas, alioqui fore illicitas, quod qui his uesci-
tur, iam uescendo, idolatriam approbare uideatur.

DE BONIS ECCLESIAE.

XXVIII.



Pes habet ecclesia Christi ex munificentia *Bona ecclesie* principum ac liberalitate fidelium, qui facul-
tates suas ecclesiæ donarunt. Opus enim ha-
bet ecclesia facultatibus, & habuit ab antiquo faculta-
tes ad res ecclesiæ necessarias sustinendas. Ac uerus
usus opum ecclesiæ quondam fuit, & nunc est, conser-
uare doctrinam in scholis, & cœribus sacrīs, cum uni-
uerso cultu, ritibus, & edificio, sacro, conseruare deni-
que doctores, discipulos atque ministros, cum rebus
alijs necessarijs, & imprimis pauperibus iuuandis at-
que alendis. Deligantur autem uiri timentes Deum, *Oeconomi.*
prudentes, & in œconomia insignes, qui legitimè bo-
na dispensent ecclesiastica.

Si uero opes ecclesiæ per iniuriam temporis, & quo *Abusus opū.*
rundam audaciam, inscitiam, aut auaritiam, translate-
sunt in abusum, reducantur à uiris pijs & prudenti-

C O N F E S S I O E T E X P O S I T I O

bus ad sanctum usum. Neque enim conniuendum est ad abusum maximè sacrilegum. Docemus itaque reformandas esse scholas & collegia corrupta, in doctrina, in cultu, & in moribus, ordinandamq; esse pie, bona fide, atq; prudenter, pauperum subventionem.

D E C O E L I B A T V , C O N I V= gio, & æconomia.

X X I X.

Cælibes,
1. Cor. 7.

Qui cœlitus donum habent cœlibatus, ita ut ex corde, uel toto animo, puri sint ac continentes, nec urantur grauiter seruiant in ea uocatione domino, donec senserint se diuino munere præditos, & ne efferant se cæteris, sed seruiant domino assidue, in simplicitate & humilitate. Aptiores autem hi sunt curandis rebus diuinis, quam qui priuatis familie negotijs distrahuntur. Quod si adempto rursum dono, uestionem senserint durabilem, meminerint uerbi apostolici, Melius est nubere quam uri.

Coniugium.
Matth. 13.

Hebr. 13.
1. Cor. 7.
Sectæ.

Quomodo
contrahenda
coniugia.

Coniugium enim (incontinentia medicina & continentia ipsa est) institutum est ab ipso domino Deo, qui ei liberalissimè benedixit, ac uirum ac foeminam inseparabiliter sibi mutuum adhærere, & unam in summa dilectione concordiaq; uiuere uoluit. Vnde scimus Apostolum dixisse, Honorabile est connubium inter omnes & cubile impollutum. Et iterum, Si uirgo nupserit, non peccauit. Damnamus ergo polygamia, & eos qui secundas damnant nuptias. Docemus contrahenda esse coniugia legitimè in timore domini, & non contra leges prohibentes aliquot in coniugio gradus, ne incestæ friant nuptię. Contrahatur cum consensu parentum, aut qui sunt loco parentum, ac illum

illum maxime finem, ad quem dominus coniugia instituit. Colantur deniq; sancte, cum maxima coniugum fide, pietate & dilectione, nec non puritate. Caeuantur itaq; rixæ, dissidia, libidines & adulteria. Constituantur legitima in ecclesia iudicia, & iudices sancti, qui tueantur coniugia, & omnem impudicitiam imputantur coercent, & apud quos controuersiae matrimoniales transfigantur.

Educentur quoq; liberi à parentibus, in timore Educatio lib
domini; prouideant item parentes liberis, memores
apostolicæ sententiæ, Qui suis non prospicit, fidem ab
negauit, & infidelis est deterior. Imprimis autem do
ceant suos, quibus se se alant, artes honestas, abstra
hant ab otio, & ueram in his omnibus fiduciam in
Deum inserant, ne diffidentia aut securitate nimia
aut auraritia foeda diffluant, nec ad ullum fructum
perueniant.

Estq; certissimum opera illa, quæ in uera fide fiunt à parentibus per coniugij officia & oeconomiam, esse coram Deo, sancta & uere bona opera, & placere hæc Deo, non minus quam preces, ieunia, atq; eleemosynas. Sic enim docuit & Apostolus in epistolis suis, precepit uero ad Timoth. & Titum. Numeramus autem cum eodem Apostolo, inter dogmata satanica illorum doctrinam, qui matrimonium prohibit, aut palam uituperant, uel oblique perstringunt, quasi non sanctum uel mundum sit. Execramur autem cœlibatum immundum, libidines & fornicationes tectas & apertas hypocritarum simulantium continentiam, cum omnium sint incontinentissimi. Hos omnes iudicabit Deus. Diuitias, & diuites, si prius sint, & recte utantur diuitijs, non reprobamus. Reprobamus autem sectam Apostolicorum, &c.

CONFESSIO ET EXPOSITIO

DE MAGISTRATV.

XXX.

*Magistratus
et Deo.*

Magistratus omnis generis ab ipso Deo est institutus ad generis humani pacem ac tranquillitatem, ac ita, ut primum in mundo locum obtineat. Si hic sit aduersarius ecclesiæ, & impedire & obturbare potest plurimum. Si autem sit amicus adeoque membrum ecclesiæ utilissimum, excellentissimumque membrum est ecclesiæ, quod ei permultum prodesse, eam denique per optimè iuuare potest.

*Officium ma-
gistratus.*

Eius officium praecipuum est, pacem & tranquillitatem publicam procurare & conseruare. Quod sane nunquam fecerit felicius, quam cum fuerit uere timens Dei ac religiosus, qui uidelicet ad exemplum sanctissimorum regum principumque populi domini, ueritatis prædicationem, & fidem sinceram promouerit, mendacia & superstitionem omnem cum omni impietate & idololatria exciderit, ecclesiamque Dei defenderit. Equidem docemus religionis curam, imprimis pertinere ad magistratum sanctum.

Teneat ergo ipse in manibus uerbum Dei, & ne huic contrariū doceatur procuret. bonis item legibus ad uerbum Dei compositis, moderetur populū sibi à Deo creditū, eundemque in disciplina, officio, obedientiaque contineat. Iudicia exerceat iuste iudicando, ne respiciat personā, aut munera accipiat. uidiuas, pupillos, & afflitos afferat, iniustos, impostores & uiolentos coérceat atque adeò & excindat. Nec enim frustra accepit à Deo gladium. Stringat ergo hunc Dei gladium in omnes maleficos, seditiones, latrones uel homicidas, oppressores, blasphemos, periuros, & in omnes eos, quos Deus punire ac etiam cädere iussit. Coérceat & hæreticos (qui uerè hæretici sunt) incorrigibiles, Dei maiestatem blasphemare, & ecclesiā Dei

Rom. 13.

conturbare, adeoq; perdere non desinentes. Qued si Bellum.
 necesse sit etiam bello populi cōseruare salutem, bel-
 lum, in nomine domini, suscipiat, modò prius pacem
 modis omnibus quæsierit, nec aliter nisi bello suos
 seruare possit. Et dum hæc ex fide facit magistratus,
 illis ipsis operibus ut uere bonis Deo inseruit, ac bene-
 dictionē à domino accipit. Damnamus Anabaptistas,
 qui ut Christianū negant fungi posse officio magistra-
 tus, ita etiā negant quenquā à magistratu iustè occidi,
 aut magistratum bellum gerere posse, aut iuramenta
 magistratui præstanda esse, &c.

Sicut enim Deus salutē populi sui operari uult per Subditorum
 magistratum, quem mundo ueluti patrē dedit: ita sub officium.
 diti omnes hoc Dei beneficium in magistratu agnoscere
 iubentur. Honorent ergo & reuereantur magistratū,
 tanquam Dei ministrū: ament eum, faueant ei, & orēt
 pro illo tanquam pro patre: obedient item omnibus
 eius iustis & equis mandatis: deniq; pendant uectiga-
 lia atq; tributa, & quæ alia huius generis debita sunt,
 fideliter atq; libenter: & si salus publica patriæ & iu-
 stitia requirat, & magistratus ex necessitate bellū su-
 scipiat, deponant etiam uitam & fundant sanguinem
 pro salute publica magistratusq;, & quidē in Dei no-
 mine libenter fortiter & alacriter. Qui enim magistra-
 tu se opponit, iram Dei grauem in se prouocat.

Damnamus itaq; omnes magistratus contempto= Seclæ & se-
 res, rebelles, reipub. hostes, & seditiones, ditiones.
 deniq; omnes quotquot officia debita præstare, uel pa-
 lam, uel arte renuunt.

Oramus Deum patrē nostrum in cœlis clementiss. ut principibus populi,
 nobis quoq; & uniuerso populo suo, benedicat, per Iesum Christum
 dominum & Seruatorem nostrum unicum: cui laus &
 gloria ac gratiarum actio, in secula secu-
 lorum, Amen.

July 54 B2